SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica
Kopernikańska
w Toruniu
SCHULPROGRAMME

Quaestionum
de proverbiis apud Aeschylum Sophoclem Euripidem
caput alterum.

Von

Dr. phil. Hans Koch,
ordentl. Lehrer.

Beilage zum Programm des Königl. Gymnasiums zu Bartenstein. 1892.

Bartenstein. 1892.
Gedruckt bei Gebr. Kraemer.

1892. Programm Nro. 2.

Quaestionum
de proverbiis apud Aeschylum Sophoclem Euripidem
caput alterum.

Caput primum quaestionum de proverbiis apud Aeschylum Sophoclem Euripidem obviis, quod anno 1887 iuris publici feci (Diss. inaug. Regimonti), continet proverbia ex fontibus quibusdam derivata. Iam vero hoc capite tractabo sententias proverbiorum loco habendas. Quas rationes in excutiendis proverbiis sim secutus, quoniam ibi praefatus sum, pauca habeo quae praemoneam.

Anno 1890 A. Otto in praefatione libri, qui inscribitur „Die Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer“ (Lips. Teubner), doctissime, quomodo proverbia cum Graecorum tum Romanorum cognoscantur, disseruit, atque maximo mihi gaudio est, quod ille vir doctus cum eis fere consentit, quae iam paucis in praefatione mea exposui. Optime explicat, quam difficile sit in lingua nostra discernere sententias et „geflügelte Worte“, quae vocant, et proverbia, quanto difficilius igitur nobis diiudicandum sit in linguis Graeca et Latina, quae metaphorae*) aut quae sententiae in usu proverbiali fuerint. Eique assentior et sententias**) et locutiones in usu cotidiano tritas et dicta experientia fatisque hominum comprobata***) et „geflügelte Worte“, quae vocamus,†) proverbiis vindicanti, scilicet quoad vulgaria atque in omnium ore fuerunt aut fuisse videntur. Etenim ex usu communi sive pervagato sententiarum dictorumque indicium firmissimum speciei proverbialis esse petendum, mihi quidem persuasum est. Alterum indicium est constantia quaedam formae dicendi; sed quamvis constans fuerit forma, tamen cum auctores orationis solutae tum imprimis poetae, sive legibus metricis sive aliis cuiusvis generis rationibus commoti, haud ita raro commutaverunt. Unde hunc conspectum indiciorum proverbia ostendentium composui:

*) Cf. Blümner: Studien zur Geschichte der Metapher im Griechischen. I. Teubner 1891, praef. et p. 112 sq.

**) Falso mea quidem opinione Martin (Studien auf dem Gebiet des griech. Sprichworts. Progr. Plauen i. V. 1889) negat sententias omnino proverbiis esse tribuendas.

***) Cf. Herder, Spruch und Bild, insonderheit bei den Morgenländern (Hempel'sche Ausg. Teil VI. p. 161): „was sind Sprichwörter anders als kurze, kräftige, oft sehr sinnreiche Volkssprüche, die als Grundsätze der Denk- und Lebensart, als unzweifelhafte Axiome des gesunden Verstandes und der Sittenweisheit gelten?“ Rückert, Weisheit des Brahmanen I. p. 175:

„Zu lehren glaubt' ich oft, was ich an mir erfuhr,
Und sah dann: ich umschrieb ein altes Sprichwort nur.
Das eben ist die Art des Sprichworts: wir gewahren
Erst seinen Sinn, wenn wir ihn an uns selbst erfahren.“

†) Praeclare Otto p. XXI „geflügelte Worte“ vocat proverbia hominum eruditorum.

I. Tragici ipsi indicant speciem proverbialem,

a. addentes: *ὥσπερ ἡ παροιμία* (Aesch. Ag. 264, Soph. fr. 262, Eur. fr. 664) sive *ἀλλ' ἔστ' ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία* (Soph. Ai. 664).

b. celebrantes sententiae vetustatem, e. gr. *τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ* Aesch. Cho. 313, *παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος* Aesch. Ag. 750, *λόγος μέν ἐστ' ἀρχαῖος* Soph. Tr. 1, *ἀεὶ δ' ὑμνούμενα* Soph. Ai. 292, *πάλαι μὲν οὖν ὑμνηθέν* Eur. Phoen. 438, *παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει* Eur. fr. 25, 344, coll. 511.

c. laudantes ignoti auctoris sapientiam, e. gr. *ἦ σοφὸς ἦ σοφὸς ὃς πρῶτος ἐν γνώμᾳ τόδ' ἐβάστασε . . .* Aesch. Pr. 887 sqq., *σοφίᾳ γὰρ ἔκ του κλεινὸν ἔπος πέφανται* Soph. Ant. 620, *σοφόν τι χρῆμα τοῦ διδάξαντος βροτούς* Eur. Andr. 957, *λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμὸς, σοφῶν δ' ἔπος* Eur. Hel. 513.

d. comprobantes experientia fatisque suis, e. gr. *ὅστις ἔμπειρος κυρεῖ, ἐπίσταται* Aesch. Pers. 598, *ἐπίσταμαί τε καὶ πεπείραμαι λίαν* Eur. fr. 465, *ὡς ἀληθὲς ἦν ἄρα* Eur. fr. 76, *καὶ ταῦτ' ἄρ' ἦν ἀληθὲς, ἠσθόμην* Eur. I. T. 351.

II. Alii auctores docent speciem proverbialem,

a. scriptores Graeci, imprimis Plato.

b. scholiastae tragicorum ad hos locos: Aesch. Pers. 930, Cho. (78), 697, 926, Ag. 32, (1133), Soph. Ai. (746), 786, 1039, Oed. Col. 954, Ant. 631, Tr. 13, Phil. 946; Eur. Andr. 930, Hipp. 345, Med. 86, 410, Or. 279, 485, 1610, Troad. 1051, Phoen. 438, 1369; praeterea schol. Soph. Ant. 781 de Eur. fr. 887, schol. Eur. Med. 618 de Soph. Ai. 665, schol. Aesch. Ag. 33 de Soph. fr. 809.

c. paroemiographi: Zenobius, Diogenianus, Gregorius Cyprius, Appendix prov., Diogen. cod. Vindob., Greg. Cypr. codd. Leid. et Mosqu., Macarius, Apostolius, Mantissa prov.*) (cf. diss. m. p. 1—2).

d. lexicographi, grammatici, scholiastae aliorum auctorum, velut Hesych., Suidas, Etym. M., Eustathius.

III. Colligere licet in proverbiorum consuetudine fuisse

a. sententias, quae non modo ab tragicis tritae sunt, sed etiam aliis auctoribus Graecis reperiuntur familiares,

b. locutiones formulasque dicendi, quae in eadem forma saepius repetuntur a tragicis,

c. metaphoras, quae nummorum instar in cotidiano usu fuisse videntur.

Haud raro plura indicia simul concurrere est consentaneum.**)

§ 1. Sententiae ad numen divinum spectantes.

Rei ipsius natura fert, ut in tragoediis permultae sententiae pertineant ad numen divinum omnes sortes condicionesque vitae humanae dirigens. Quarum complures in proverbia sunt versae.

Homines ignavi ne sperent, se precibus inanibus auxilii deorum participes fore, admonet Eur. fr. 435:

αὐτός τι νῦν δρῶν εἶτα δαίμονας κάλει·
τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς ξυλλαμβάνει.

*) Corpus paroem. Graec. edd. Leutsch et Schneidewin Gotting. I 1839, II 1851.

**) Tragicorum locos ex his editionibus exhibui: Aesch. Soph. ex editt. Teubner. Dindorfii 1882, Eur. ex ed. Teubner. Nauckii I—II³,III² 1879—81; frgt. ex Nauckii Tragg. Graec. frgt. 1856. Scholia ex editt. Dindorfii.

Versum priorem offert Mant. pr. 1,32 comparans cum proverbio *σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει*, quod dicebatur *ἐπὶ τοῦ μὴ χρῆναι ἐπὶ ταῖς τῶν θεῶν ἐλπίσι καθημένους ἀργεῖν* (Zen. 5,93). Versum alterum exhibuit Ap. 17,43 b.

Ad Eur. El. 80: *ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα,*
βίον δύναιτ' ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου

glossema aptissime adscriptum *οὐδεὶς ἀπὸ μόνου ζῇ τοῦ ἐπικαλεῖσθαι θεούς* affert illud *σὺν Ἀθ. κ. χ. κ.* Cf. Eur. I. T. 910, Hel. 756, fr. adesp. trag. 440: *θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῖσιν οὐ παρίσταται.* Similia sunt Aesch. Pers. 742: *ἀλλ' ὅταν σπεύδῃ τις αὐτὸς, χὠ θεὸς συνάπτεται*, fr. 386: *φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός.* Soph. fr. 371: *οὐκ ἔστι τοῖς μὴ δρῶσι σύμμαχος τύχη*, fr. 842 (= Ap. 13, 36a): *οὐ τοῖς ἀθύμοις ἡ τύχη ξυλλαμβάνει.* Cf. Men. fr. 47: *τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει.* Eadem sententia iam invenitur ap. Hom. Od. *γ* 260 et Her. 7, 8, 1 neque ignota fuit Latinis. Otto s. fortuna 9 uberrima locorum copia collecta demonstrat, quam tritum sit ab poetis aliisque auctoribus Romanorum Terentianum illud (Phorm. 203): fortes fortuna adiuvat. Cui cognatum est nostrum „wer nicht wagt, gewinnt nicht", quod in variis formis apud Graecos et Latinos nobis occurrit. Inde ab veterrimo Hesiodeo (opp. 289) *τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν* usque ad Horatianum celeberrimum (sat. 1, 9, 59) „nil sine magno Vita labore dedit mortalibus" permulti idem expresserunt; summo autem cum studio tragici hoc docent inculcantque multis dictis, quorum pars in corp. par. invenitur. Haec appono: Aesch. fr. 308 *τῷ πονοῦντι δ' ἐκ θεῶν | ὀφείλεται τέκνωμα τοῦ πόνου κλέος.* Soph. fr. 853 *πολλῶν καλῶν δεῖ τῷ καλόν τι μωμένῳ· | μικροῦ δ' ἀγῶνος οὐ μέγ' ἔρχεται κλέος*, ubi in versu priore probabiliter Nauck. pro *καλῶν* proposuit *πόνων*, alterum versum recepit Mant. pr. 2, 21; fr. 364 *οὕτοι ποθ' ἅψει τῶν ἄκρων ἄνευ πόνου*, El. 945 *ὅρα, πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ*, coll. fr. 755 (= Ap. 13, 77b). Eur. fr. 477 *πόνος γὰρ, ὡς λέγουσιν, εὐκλείας πατήρ* (= Mant. pr. 2, 67), fr. 147 *εὐκλειαν ἔλαβον οὐκ ἄνευ πολλῶν πόνων*, fr. 719 *μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν*, fr. 464, 1039 v. 7, Suppl. 323, Her. 625, coll. fr. 240, 241, 242, 430a, atque ab Apostolio recepta fr. 238, 366, 1038, 745, I. T. 114.

Aesch. Sept. 625 *θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτούς,*

Ap. 8, 87 excerpsit, quocum comparentur Eur. Suppl. 596 et fr. 149.

Soph. Ai. 383 *ξὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κὠδύρεται*

reperimus ap. G. C. L. 3, 10, G. C. M. 4, 52, Ap. 12, 26 addita explicatione *ἀντὶ τοῦ· θεοῖ βουλομένου καὶ τὰ κακὰ μεθίσταται εἰς τέρψιν*, tum ap. Stob. Ecl. 1, 3, 34, Suid. Cf. Eur. I. A. 31. Neque dissimilia sunt Eur. fr. 925 (= Mant. pr. 1, 4), Suppl. 331 *ὁ γὰρ θεὸς πάντ' ἀναστρέφει πάλιν*, Hec. 958 (= Ap. 12, 30b et 18, 4a), Hel. 712, Rhes. 332.

Soph. Oed. Col. 1536 *θεοὶ γὰρ εὖ μὲν, ὀψὲ δ' εἰσορῶσ', ὅταν | τὰ θεῖ' ἀφείς τις ἐς τὸ μαίνεσθαι τραπῇ* meminisse mihi videtur hexametri proverbialis *ὀψὲ θεῶν ἀλέουσι μύλοι, ἀλέουσι δὲ λεπτά*, quod legitur ap. Mac. 6, 85 et App. pr. 4, 48. Eandem sententiam expresserunt Tib. 1, 9, 4 „sera, tamen tacitis Poena venit pedibus" et Hor. carm. 3, 2, 31 „raro antecedentem scelestum Deseruit pede poena claudo" aliique, quos vid. ap. Otto s. deus 11.

A deo mente occaecati vulgo credebantur, qui aliquid mali perniciosique suscipiebant. Hanc sententiam proverbii more esse celebratam ostendunt versus Soph. Ant. 620 *σοφίᾳ γὰρ ἔκ του | κλεινὸν ἔπος πέφανται | τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν | τῷδ' ἔμμεν ὅτῳ φρένας | θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.* Schol. apponit trag. adesp. 379. Iam Aesch. fr. 151 praeierat *θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς | ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ*, quos versus afferunt Ap. 8, 89k, Plat. reip. 2, 380 A, Plut. Mor. 17 B, 1065 E. Cf. Hom. Il. *Z* 234, *I* 377, *P* 470, *Σ* 311, *T* 86. Eandem sen-

tentiam exprimit Publ. Syr. 173 „fortuna nimium quem fovet stultum facit“, quod cum similibus composuit Otto s. fortuna 13. Nos „wem das Glück zu wohl will, den macht es zum Narren“.

Ad deorum summam potentiam spectat senarius

Θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις,

cuius de auctore veteres dissentiunt; equidem Nauck. secutus versum Euripidi vindicaverim. Proverbium esse intellegitur ex Mac. 4, 69 (cf. 4, 3) et Luc. Hermot. § 28: *ἡμᾶς δὲ . . οὐκ οἶμαι δεῖν . . ἐς στενὸν κομιδῇ κατακλείειν τὴν ἐλπίδα, ἐπὶ ῥιπὸς, ὡς ἡ παροιμία φησὶ, τὸν Αἰγαῖον ἢ τὸν Ἰόνιον διαπλεῦσαι θέλοντας.* Quae proverbii vis sit, simul ex schol. h. l. cognoscitur: *εἴρηται ἐπὶ τῶν πάνυ ἀπόρων καὶ θεῷ μόνῳ εἰς λύσιν ἐπιτρεπομένων,* paulo aliter interpretatur Mac. 4, 3 *ἐπὶ ῥιπὸς πλεῖν· ἐπὶ τῶν εἰς κίνδυνον ἑαυτοὺς ἐμβεβληκότων.* Variata dicti forma *κέρδους ἕκατι κἂν ἐ. ῥ. π.*, quam profert schol. Eur. Phoen. 395, ex ioco Aristophanis (Pac. 699) manavisse neque proverbii locum obtinuisse mihi quidem videtur. De origine locutionis *ἐπὶ ῥιπός* Blümner l. c. p. 99 haec scribit: „diese sprichwörtliche Redensart soll davon ausgehn, dass die griechischen Knaben bei ihren ersten Schwimmversuchen an Stelle der Schwimmgürtel von Kork Binsenbüschel nahmen.“

Contra deos et diram necessitatem pugnare esse absurdum, docent permulti loci. Otto s. deus 3 iure ac merito eiusmodi sententias proverbiis attribuit, velut Plaut Pers. 26 „deisne advorser“. Ex tragicis haec eligam: Eur. fr. 491 *οὐ χρὴ μάχεσθαι πρὸς τὸ θεῖον, ἀλλ' ἐᾶν,* fr. 724 *σὺ δ' εἶκ' ἀνάγκῃ καὶ θεοῖσι μὴ μάχου,* Bacch. 325 *κοὐ θεομαχήσω* (= Ap. 13, 61b), Iph. A. 1409 *τὸ θεομαχεῖν γὰρ ἀπολιποῦσ'* (versus spurius), Soph. Trach. 492 *θεοῖσι δυσμαχοῦντες.* Cf. Hom. Il. *P* 98, Theogn. 687, Men. mon. 247, Xen. Oec. 16, 3, Act. apost. 5, 39. Idem valere necessitatem, intellegimus ex Pittaci dicto

ἀνάγκᾳ οὐδὲ θεοὶ μάχονται

in proverbium verso testibus Zen. 1, 85, G. C. 1,52, G. C. M. 1,50, Ap. 3,6. Ad quod proxime accedit Soph. fr. 236 *πρὸς τὴν Ἀνάγκην οὐδ' Ἄρης ἀνθίσταται.* Cf. Liv. 9, 4, 16 „pareatur necessitati, quam ne dii quidem superant“ et quae Otto s. necessitas 1 praebet. Cognatum est a Zen. 3, 9 allatum *δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχυρότερον,* quod sine dubio mutuatus est ex Eur. Hel. 513

λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμὸς, σοφῶν δ' ἔπος,
δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον,

cuius loci speciem proverbialem versus prior per se satis certe indicat. Ex ingenti copia similium satis sit apposuisse Aesch. Prom. 105 *τὸ τῆς ἀνάγκης ἐστ' ἀδήριτον σθένος* et Soph. Ant. 1106 *ἀνάγκῃ δ' οὐχὶ δυσμαχητέον.*

§ 2: Sententiae ad hominem pertinentes.

a. ad varios aetatis gradus et ad moriendum.

Ex Eur. fr. 511 *παλαιὸς αἶνος· ἔργα μὲν νεωτέρων,*
βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος

sumptum videtur Prov. app. 4,6 *νέοις μὲν ἔργα, βουλὰς δὲ γεραιτέροις.* Proverbium esse apparet cum ex illo *παλαιὸς αἶνος,* tum ex Harpocr. 85, 14 (Bekk.) *παροιμία τίς ἐστιν . . ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.* Hac forma mutata afferunt prov. Mac. 4, 11, Ap. 7, 90. Suo iure autem *παλαιὸς* audit *αἶνος* ille, quippe quem non modo Hesiodus sed etiam Hom. Il. *B* 53, Pind. fr. 213, Plut. an seni sit ger. resp. 789 *E* celebrent. Rursus Eur. idem expressit fr. 293 et 364 v. 21 (= Ap. 12, 70a). Etiam meminit sententiae Minervam ad Furiarum chorum Eum. 847 loquentem faciens *γεραιτέρα γὰρ εἶ· | καὶ τῷ μὲν εἶ σὺ κάρτ' ἐμοῦ σοφωτέρα.*

Ab Solone pronuntiatum esse tradunt versum (fr. 18)

γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος,

quem adhibent Plat. Lach. 188 B, Reip. 7, 536 D, Amat. 133 C, Plut. Sol. 31, schol. Soph. Ant. 711, Cic. Cat. mai. 8, 26 et 14, 50 atque, quod in prov. cessit, afferunt Zen. 3, 4 addens *ἐπὶ τῶν διὰ τὸ γῆρας ἐμπειροτέρων*, Diog. 3, 80, G. C. L. 1, 79, Ap. 5, 40. Tragicorum huc pertinent Aesch. Ag. 584 *ἀεὶ γὰρ ἡβᾷ τοῖς γέρουσιν εὖ μαθεῖν*, fr. 387 *καλὸν δὲ καὶ γέροντι μανθάνειν σοφά*, Soph. Ant. 710 *ἀλλ' ἄνδρα, κεἴ τις ἦ σοφὸς, τὸ μανθάνειν | πόλλ' αἰσχρὸν οὐδὲν καὶ τὸ μὴ τείνειν ἄγαν*, ubi schol. illud Solonis offert.

Quantiscunque vero laudibus rerum peritos senes efferunt poetae, saepius senectuti imbecillitatem atque inertiam crimini dant. Eur. senem quasi umbram contempsit fr. 512 *φωνὴ καὶ σκιὰ γέρων ἀνήρ* (= Mant. pr. 2, 97) et Andr. 745 *σκιᾷ γὰρ ἀντίστοιχος ὢν φωνὴν ἔχεις*, quae sunt Menelai Peleum senem obiurgantis. De usu proverbiali vocis *σκιά* dixi in diss. mea p. 53—54. Cf. Blümner l. c. p. 260 et 266. Huc spectat speciem proverbialem in versu primo prae se ferens Eur. fr. 25: *παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·*

γέροντες οὐδὲν ἐσμεν ἄλλο πλὴν ὄχλος | καὶ σχῆμ', ὀνείρων δ' ἕρπομεν μιμήματα.

Idem valet *γέρων τύμβος* Med. 1209, Her. 166, coll. Arist. Lys. 372.

Cognatum Soph. Oed. Reg. 961 *σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή* laudatur in Mant. pr. 2, 85.

Notum erat proverbium *ἐπὶ τῶν πρὸς τὸ γῆρας εὐηθεστέρων* (Diog. 4, 18)

δὶς παῖδες οἱ γέροντες.

Tragicorum huc pertinent Soph. fr. 444 *πάλιν γὰρ αὖθις παῖς ὁ γηράσκων ἀνήρ*, Aesch. Eum. 38 *γραῦς . . ἀντίπαις μὲν οὖν*, Ag. 74. Permultorum scriptorum loci continent eandem sententiam, in eis Arist. Nub. 1417, coll. Equ. 1098 sq.; Plat. Legg. 1, 646 A; Crat. fr. 24 *ἦν ἄρ' ἀληθὴς ὁ λόγος ὡς δὶς παῖς γέρων*, Theop. fr. 69; Iuvenal. Sat. 13, 33 „dic, senior bulla dignissime", ubi schol.: „quasi iterum puer, hoc ex prov. Graeco *π. δ. χ.*" Alia praebent Otto s. senex 1 et Bauck.*) p. 15; cf. nostrum „Alte Leute sind zweimal Kinder."

Soph. Oed. Col. 395 *γέροντα δ' ὀρθοῦν φλαῦρον, ὃς νέος πέσῃ* receperunt G. C. 1, 97, G. C. M. 2, 51, Ap. 5, 39.

Paucis attingam, quid poetae tragici senserint de moriendo. Aiacis praeceptum Soph. Ai. 479

ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι | τὸν εὐγενῆ χρή

in proverbium erat versum teste Mac. 4, 35. Vid. Lobeck. ad h. l. Idem exprimunt Soph. El. 1320, 988 sqq. (= Ap. 8, 34 f), fr. 445 *τὸ μὴ γὰρ εἶναι κρεῖσσον ἢ τὸ ζῆν κακῶς*, Oed. R. 518, Ant. 463 sq., fr. 867, tum Aesch. fr. 392 *ζωῆς πονηρᾶς θάνατος αἱρετώτερος* (= Ap. 1, 67 c), fr. 85, 171, Ag. 1303, Prom. 750. Imprimis autem decantavit sententiam Euripides, e. gr. Or. 1151 *ἕξομεν κλέος | καλῶς θανόντες ἢ καλῶς σεσωσμένοι*, fr. 599 *οὐκ οὖν τὸ μὴ ζῆν κρεῖσσόν ἐστ' ἢ ζῆν κακῶς*, Hec. 377, Her. 200, 534, Or. 786, Tr. 637, Ion. 858, Cycl. 201, Rhes. 758 sqq.

Ex miro verborum consensu conicere licet, in proverbii consuetudine fuisse

Aesch. fr. 250 *ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ*,

Soph. Oed. Col. 955 *θανόντων δ' οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται*,

Eur. Alc. 937 *τῆς μὲν* (Alcestidis mortuae) *γὰρ οὐδὲν ἄλγος ἅψειαί ποτε.*

Cf. Soph. Trach. 1173, El. 1170 (quem versum Erasmus Adag. Chil. p. 981 habet), Eur. fr. 830. Propinqua est sententia affirmans, mortem afferre malorum finem, quae in tragoediis passim repetitur, e. gr. Aesch. Suppl. 802 *τῷ γὰρ θανεῖν ἐλευθεροῦμαι φιλοστόνων κακῶν*, Prom. 754, fr. 250, 343; Soph. fr. 631 *ἀλλ' ἔσθ' ὁ θάνατος λῷστος ἰατρὸς νόσων*, Oed. Col. 1220, Trach. 1255; Eur. Her. 595 *τὸ γὰρ θανεῖν | κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται*, Med. 146, Hipp. 1373,

*) de prov. aliisque locutionibus ex usu vitae communis petitis ap. Aristophanem com. Diss. inaug. Regim. 1880.

fr. 176, 452. Quorum locorum partem haud iniuria, ut mihi videtur, recepit Ap. 2, 52 c, 6, 67 f, 8, 83 c. Idem excerpsit 18, 54 verba, quae Darii umbra facit Aesch. Pers. 840 . . *τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ.*

b. Sententiae ad condiciones institutaque vitae privatae pertinentes.

α. ad rationes familiares conubiumque.

Tota fere antiquitas in hac consentiebat opinione, fortes a fortibus creari (cf. Hor. carm. 4, 4, 29) patrumque indolem in filiis quasi reviviscere. Huc spectat Eur. fr. 344

φεῦ φεῦ· παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·
οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.

Ex versu priore, qui recurrit in fr. 25 modo p. 7 allato, satis apparet, dictum in numero proverbiorum esse habendum. Accedit, quod idem sensus inest, qui in proverbio *τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον* explicato ab Mac. 8, 43 *ἐπὶ τοῦ ὁμοίου* et ab Ap. 16, 79 *ἐπὶ τῶν πατρῳζόντων εἴς τινας ἐπιτηδειότητας.* Nec minus proverbii speciem adumbrat exordium Eur. fr. 76: *ὡς ἀληθὲς ἦν ἄρα, | ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθαι τέκνα, | κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τῇ τοῦ πατρός.* Cf. Eur. Hel. 941, fr. 166, 234, 300; Soph. Ant. 78, 471, Ai. 471, Phil. 874.

Concedit autem aliud proverbium, etiam contrarium fieri posse, quod legimus in Soph. fr. 262 (= Ap. 6, 88 a)

ἴσθι δ', ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἐκ κάρτα βαιῶν γνωτὸς ἂν γένοιτ' ἀνήρ.

Aeschylus usurpata imagine eandem sententiam expressit Cho. 204 *σμικροῦ γένοιτ' ἂν σπέρματος μέγας πυθμήν.*

Pietate erga patrem ductus Haemon linguam coercens Creonti ipsum acriter obiurganti respondet Soph. Ant. 755

εἰ μὴ πατὴρ ἦσθ', εἶπον ἄν σ' οὐκ εὖ φρονεῖν.

Diog. 4, 75, App. pr. 2, 11, Ap. 6, 78 inter proverbia recensent *εἰ μὴ πατὴρ ἦσθα* addentes *λείπει τὸ εἶπον ἄν κτλ.* Vim proverbii explanat Erasmus p. 492 ostendens, id vulgo esse dictum „quoties honoris aut metus causa convicium reticebant.“

Feminarum condicionem Athenis miserrimam fuisse, quis est qui nesciat? Angustis munerum domesticorum finibus coactae itaque omnis paene humanioris eruditionis expertes, viris, qui totum fere diem foris agebant, non modo non cordi erant, verum etiam ad nullam aliam rem esse videbantur nisi ut domum administrarent et liberos parerent educarentque. Huc pertinent innumerabilia fere dicta tragicorum, quorum pars adeo erat sermone trita, ut proverbiorum locum tenerent*). Gravissime poetae inculcant, domi manere et tacere feminas honestas decere. Primum exhibeo Eur. fr. 920

ἔνδον γυναικῶν καὶ παρ' οἰκέταις λόγος,

quod proverbiale esse Eust. ad Il. 566, 14 testatur: . . . *παροιμίαν ἐξ Εὐριπίδου λέγουσαν· ἔνδον γ. κτλ, ἤγουν ἐν τοῖς κατ' οἰκίαν λαλητέον ἂν εἴη τὰς γυναῖκας, ἔξω δὲ οὐκ ἐξιτέον, οὐδὲ ἀλλοτρίων παρόντων λυτέον τὴν λαλίαν.* Cf. Eur. Her. 43. Eodem sunt referenda verba ab Eteocle ad chorum virginum Thebanarum facta Aesch. Sept. 232 *σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν καὶ μένειν εἴσω δόμων.* Soph. Ai. 292 Tecmessa de coniuge dicit:

ὁ δ' εἶπε πρός με βαί', ἀεὶ δ' ὑμιούμενα·
γύναι, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει,

ubi verba *ἀεὶ δ' ὑμν.* proverbium satis indicare videntur; optime schol. affert, quae Hector ad

*) De prov. *ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω* vid. diss. m. p. 29.

Andromacham ap. Hom. Il. *Z* 490 loquitur. Praeclarae sententiae Sophocleae imitatores et laudatores, quorum numerus ingens est, Lobeck ad h. l. enumerat. Apud eundem poetam cognatum legimus fr. 61: *κόρῃ τε κἀργείᾳ γένος, | αἷς κόσμος ἡ σιγή τε καὶ τὰ παῦρ' ἔπη*, de quo vid. pauca in diss. m. p. 35. Cf. Eur. Her. 476 *γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν | κάλλιστον*, Andr. 876, El. 343, Hec. 975, I. A. 735, 993, fr. 525. Adscribere mihi liceat praeceptum Pauli apostoli (I Cor. 14, 34) *αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν κιλ.* et ex Latinis unum Plaut. Rud. 1114: „tacitast melior mulier semper quam loquens." Plura ap. Otto s. mulier 1.

Ad Andromacham respiciens, quippe quae ab Neoptolemo marito ex bello Troiano praeda adducta concubinaeque locum obtinens totam felicitatem domesticam perdiderit, Hermione eloquitur Eur. Andr. 930

κακῶν γυναικῶν εἴσοδοί μ' ἀπώλεσαν.

Mox pergens omnes prudentes viros admonet, ne unquam alienas mulieres domum intrare patiantur, *αὗται γὰρ διδάσκαλοι κακῶν* (v. 946) atque idem inculcat v. 952. Ad versum illum 930 scholl. adnotaverunt *εἰς παροιμίαν μετήχθη ὁ στίχος*. Sed etiam aliunde constat de hoc versu in prov. profecto, cf. Wyttenbach ad Plut. Mor. 143 F. Idem monent Plut. l. c. et 610 B, Naumachius ap. Stob. 73, p. 439.

In deligenda uxore viri praecipue id spectavisse videntur, ut virginem in matrimonium ducerent, quae ipsis et genere et re familiari par esset. Huc pertinentia dicta praeceptaque permulta cum apud alios scriptores Graecorum reperimus tum apud tragicos. Cf. iam Hom. Il. *I* 398 *γήμαντι . . εἰκυῖαν ἄκοιτιν* et Pind. Pyth. 2, 64 sqq. Aesch. Prom. 887 *ἦ σοφὸς ἦ σοφὸς ὅς | πρῶτος ἐν γνώμᾳ τόδ' ἐβάστασε | καὶ γλώσσᾳ διεμυθολόγησεν, | ὡς τὸ κηδεῦσαι καθ' ἑαυτὸν ἀριστεύει μακρῷ* auctore schol. A (= Ap. 16, 55) respexit Pittaci dictum *τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα*. Qui cum ex eo quaereret quidam, utram duceret uxorem, bene dotatam an pauperem sibique parem, ad pueros eum dimisit, qui turbines flagellis agitabant aliique aliis dicebant *τ. κ. σ. ε.* Unde is, qui interrogaverat, sumpsit sibi praeceptum *ἴσαις ὁμίλει* (= Ap. l. c.) sive *γάμει ἐκ τῶν ὁμοίων*, quod Cleobulo tribuit Diog. Laert. 1, 92. Verba autem, quibus induxit Aesch. praeceptum nobilissimum, ne umbram quidem dubitationis mihi relinquunt, quin id fuerit proverbiale, quamquam omiserunt paroemiographi. Accedit quod identidem recurrunt sententiae idem exprimentes. Quin etiam verborum similitudo quaedam reperitur in Eur. fr. 213 *κῆδος καθ' αὑτὸν τὸ σοφὸν κτᾶσθαι χρεών* et fr. 60 *ἐκ τῶν ὁμοίων οἱ κακοὶ γαμοῦσ' ἀεί* simillimum est illi Cleobuli supra exscripto. Cf. Eur. Andr. 622, 1279, El. 1097, Her. 297 sqq., fr. 153; Rhes. 168. Adhibuit Plut. d. educ. pu. 13 F; cf. Ov. Her. 9, 32 „si qua voles apte nubere, nube pari."

β. sententiae ad amorem pertinentes.

Oculos illicere potissimum ad amandum eloquitur hic versus a Diog. 4, 49, Mac. 3, 72, Ap. 6, 89 excerptus

ἐκ τοῦ γὰρ ἐσορᾶν γίνετ' ἀνθρώποις ἐρᾶν,

cuius auctor incertus est. Dindorf aliique, recte ut mihi videtur, versum Sophocli adscribunt. Nostrates simile habent „die Augen sind der Liebe Boten", quod iam reperitur apud Prop. 2, 15, 12 „si nescis, oculi sunt in amore duces." Cognata ex auctoribus Latinis composuit Otto s. oculus 8. Cf. Aesch. Sup. 1005 sqq. Eodem spectat Eur. Tr. 1051

οὐκ ἔστ' ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ,

ubi schol.: *ὁ στίχος οὗτος ἐν παροιμίαις φέρεται*. Illis Hecuba adhortatur Menelaum, ne in eadem navi qua Helena domum redeat, metuens ne in pristinum uxoris amorem relabatur, si denuo convictu mulieris fruatur Menelaus: quippe amator omnis, quod amet, constanter amet. Errat

igitur Otto, qui s. amicitia 3 proverbio „verae amicitiae sempiternae sunt“ nostrum addit; neque enim locus noster ad amicos sed ad amatores pertinet. Ap. 13, 15 n formam variatam praebet *οὐδεὶς ἐραστὴς κτλ.* Legitur apud Arist. Rhet. 2, 21, Eth. Eud. 7, 2.

Sed qui vitam in egestate degant, vere amare non posse, veteres arbitrabantur. Itaque

Eur. fr. 887 *ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' οὔ,*

qui versus teste schol. ad Soph. Ant. 781 in prov. transiit. In omnium ore fuisse cum hanc sententiam tum versum Eur., docet Nauck ad h. l. permultos afferens locos.

Plurimum in amore vinum valere, dicit Eur. Bacch. 773

οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος οὐκ ἔστιν Κύπρις.

Omnino veteres Veneris et Bacchi sodalicium saepissime celebraverunt. Cf. Ap. 4, 58 et 12, 2. Iuvat ex Latinis nonnulla apponere: Ter. Eun. 732 „sine Cerere et Libero friget Venus“, Hor. carm. 3, 18, 7 „larga nec desunt Veneris sodali Vina craterae“; plura ap. Otto s. Venus, qui comparat nostrum „ohne Wein und Brod leidet Venus Not.“

Denique huc referendum est prov. *Ἀφροδισία ἄγρα· ἐπὶ τῶν ἔρωτι ἁλισκομένων* ab Mac. 2, 70 commemoratum; est autem derivatum ex Soph. fr. 170

γόνον τε μήλων κἀφροδισίαν ἄγραν.

Plura suppeditant ap. Hesych. 1 p. 649 s. v., Eustath. ad Hom. Il. *T* p. 1183, 19; Anecd. Bekk. 1, 472, 22.

γ. sententiae ad amicitiam inimicitiasque pertinentes.

Amicorum usus complura proverbia in lucem protulit. Ac primum quidem animadvertimus, non deesse tragicorum sententias exprimentes nostra „gleich und gleich gesellt sich gern“ et „sage mir, mit wem du umgehst, ich werde dir sagen, wer du bist.“ Neque aberrare mihi videor, cum eas in proverbii consuetudine fuisse coniciam commotus tritissimo versu proverbiali

Hom. Od. *ρ* 218 *ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον,*

quem Diog. 5, 16, G. C. 1, 15 alii afferunt. Miror quod paroem. omiserunt praeclarum Eur. fr. 809 (v. 7—9) *ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ, | οὐπώποτ' ἠρώτησα,*

γιγνώσκων ὅτι | τοιοῦτός ἐσθ' οἵοισπερ ἥδεται ξυνών,

quos versus exhibent Dem. d. fals. leg. § 245, Diod. Sic. 12, 14 respiciuntque permulti, quos Nauck in glossa l. c. enumeravit.

Sunt qui falso Euripidi attribuant Soph. fr. 13

σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν ξυνουσίᾳ

simile Salom. prov. 13, 20 „wer mit den Weisen umgeht, der wird weise.“ Senarium esse proverbialem, testantur Zen. 5, 98, Mac. 7, 76, Ap. 15, 58, Pr. app. 4, 76. Adhibuerunt eum Plat. Reip. 8, 568 A et Theag. 125 B; Aristid. 2 p. 373, Liban. ep. 33 alii, quos apposuit Nauck. Attingit Aristoph. Thesm. 21.

In corp. paroem. desiderantur hi loci Euripidei eodem spectantes: fr. 1013

φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί,

quem versum afferunt Paulus I Cor. 15, 33 plurimique auctores a Nauck. enumerati atque lingua nostra sic vertit „schlechter Umgang verdirbt gute Sitten;“ tum fr. 612 *ὁ γὰρ ξυνὼν κακὸς μὲν ἦν τύχῃ γερώς, | τοιούσδε τοὺς ξυνόντας ἐκπαιδεύεται, | χρηστοὺς δὲ χρηστός*, El. 385 *τῇ δ' ὁμιλίᾳ βροτοὺς | κρινεῖτε*, Andr. 683 *ἡ ὁμιλία | πάντων βροτοῖσι γίγνεται διδάσκαλος*, coll. El. 1085, Aesch. Pers. 753, Rhes. 206.

Ap. 3, 100 d habet Eur. fr. 298, concinens cum Men. mon. 28

ἀνὴρ δὲ χρησιὸς χρησιὸν οὐ μισεῖ ποτε.

In omnium Christianorum ore est celebratissimum illud, ut dicunt Pythagorae,

κοινὰ τὰ τῶν φίλων,

quod receptum est ab Zen. 4, 79, Diog. 5, 76, G. C. L. 2, 54, Mac. 5, 21, Ap. 9, 88. Saepius id usurpat Euripides. Orestem quominus in consessum Argivorum de capite matricidae iudicantem solus se conferat, Pylades his impedit (Or. 735): *συγκατασκάπτοις ἂν ἡμᾶς· κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων.* Iterum adhibet prov. poeta Menelaum loquentem faciens Andr. 376: *φίλων γὰρ οὐδὲν ἴδιον οἵτινες φίλοι | ὀρθῶς πεφύκασ', ἀλλὰ κοινὰ χρήματα,* tum Phoen. 243 *κοινὰ γὰρ φίλων ἄχη,* Iph. A. 408 *ἐς κοινὸν ἀλγεῖν τοῖς φίλοισι χρὴ φίλους,* coll. fr. 901 v. 13—14, Alc. 369, El. 1305, Ion. 935, Iph. T. 605 sqq. Commemorant prov. plurimi, e. gr. Plat. Phaedr. 279 C, Lys. 207 C, Reip. 4, 424 A, 5, 449 C, Legg. 5, 739 C; Men. fr. 12 (Mein.), unde mutuatus est Ter. Ad. 803: „nam vetus verbum hoc quidemst, communia esse amicorum inter se omnia." Cf. Otto s. amicus 1.

De auctore senarii proverbialis

ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι,

cuius mentionem faciunt schol. Soph. El. 188, schol. Eur. Andr. 976 et Phoen. 403, schol. Aristid. p. 85 et 681, Zen. 1, 90, Diog. 1, 79 ceterique paroem., inter se dissentiunt et veteres et aetatis nostrae viri docti, alii Sophocli, alii Euripidi eum assignantes; sed res incerta videtur. Soph. prov. respicit, ubi Electram de misera sua condicione querentem facit El. 188 *ἅς φίλος οὔτις ἀνὴρ ὑπερίσταται,* ubi schol. prov. nostrum adscripsit. Cf. El. 322, Ant. 540. Ex ingenti autem numero locorum, quibus Eur. proverbii sententiam expressit — qui poeta Orestem et Pyladem intimae verissimaeque amicitiae exemplum omnibus temporibus ante oculos proposuit — eligam luculentissimos. Phoen. 403 *τὰ φίλων δ' οὐδὲν ἦν τι δυστυχῆς* (= Mac. 4, 22, App. pr. 2, 90), Herc. fur. 559 *φίλοι γάρ εἰσιν ἀνδρὶ δυστυχεῖ τίνες;* coll. v. 561, 1223 sqq., El. 605 *οὐδεὶς δυστυχοῦντί σοι φίλος,* Med. 881 coll. Theogn. 209, Or. 454 *ὄνομα γὰρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι, | οἱ μὴ 'πὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι,* Or. 1095 Pyladis nobilissima: *ὃς πρὶν μὲν ὑμᾶς δυστυχεῖν φίλος παρῆ, | νῦν δ' οὐκέτ' εἰμὶ δυστυχοῦντί σοι φίλος, | οὐκ ἔστιν,* coll. v. 666, 727, 803, Hec. 1227 *ἐν τοῖς κακοῖς γὰρ ἀγαθοὶ σαφέστατοι | φίλοι· τὰ χρηστὰ δ' αὖθ' ἕκασ' ἔχει φίλους,* Herc. fur. 57 sqq., Iphig. A. 346 sqq., Andr. 87. Liceat ex Latinis pauca in memoriam revocare Ov. Trist. 1, 9, 5 „donec eris felix, multos numerabis amicos, | tempora si fuerint nubila, solus eris," qui versus mirum in modum consentiunt cum Theogn. 697; Plaut. Epid. 1, 2, 10 „is est amicus, qui in re dubia re iuvat, ubi re est opus", Ennianum illud ap. Cic. de amic. 17, 64 „amicus certus in re incerta cernitur." Uberrima exempla huius prov. collegit Otto s. amicus 6, 7. Cf. praeterea Theogn. 645, 857, 929, Ies. Sir. 6, 7 sqq.

In amicitia ineunda persaepe divitias magnum habere momentum pauperesque ab amicis derelinqui, tragicos non fugit. Idem sensit Eur. fr. 465

ἐπίσταμαι δὲ καὶ πεπείραμαι πάλαι
ὡς τῶν ἐχόντων πάντες ἄνθρωποι φίλοι,

quod iure ac merito proverbiis vindicat Ap. 7, 83; El. 1131 *πένητας οὐδεὶς βούλεται κτᾶσθαι φίλους,* Med. 561 *πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος,* Herc. fur. 1425 saepius, etiam Soph. fr. 86 *τὰ χρήμαι' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους* saepius.

Ad perfidiam non sincerorum adulantiumque amicorum pertinet Eur. fr. 364 v. 23:

βραχεῖα τέρψις ἡδονῆς κακῆς,

quem affert Mant. pr. 1, 38, quamquam turpi interpolatione depravatum. Cf. Soph. fr. 841 *χαίρειν ἐπ' αἰσχραῖς ἡδοναῖς οὐ χρή ποτε,* quod imitatus esse videtur Men. mon. 544.

Ab praeceptis christianis prorsus abhorrent, quae Graeci sentiebant de inimicis. Bene Lessing Laoc. IV „die moralische Grösse bestand bei den alten Griechen in einer ebenso unveränderlichen Liebe gegen seine Freunde als unwandelbarem Hasse gegen seine Feinde.“ Sic Medea Eur. Med. 809 dicit se esse *βαρεῖαν ἐχθροῖς καὶ φίλοισιν εὐμενῆ*. Pervulgata erat sententia cum apud alios poetas (Archil. fr. 65, Sol. fr. 13, 5—6, Theogn. 869 sqq., Pind. Pyth. 2, 151 sqq.) tum apud tragicos. Proverbii speciem habet Lobeck. iudice, cui adstipulor, Soph. Ai. 988

τοῖς ἐχθροῖσί τοι | φιλοῦσι πάντες κειμένοις ἐπεγγελᾶν,

ubi cum Dindorf. aliisque pro *θανοῦσι* librorum recepi *ἐχθροῖσι* nixus v. 79 *οὔκουν γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθροὺς γελᾶν;* Adiuvat opinionem Lobeckianam verborum similitudo in Soph. El. 1152 *τέθνηκ' ἐγώ σοι· φροῦδος αὐτὸς εἶ θανών· | γελῶσι δ' ἐχθροί*, coll. v. 1295, Oed. Col. 902. Similia Aesch. Pers. 1034, Pr. 158, Suppl. 1008; Eur. fr. 463, Med. 383.

Huc referenda videntur, quae Creon, postquam exposuit, se implacabili odio in Oedipum esse imbutum, eloquitur Soph. Oed. Col. 954

θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆρᾶς ἐστιν ἄλλο πλὴν | θανεῖν,

ubi schol. *τοῦτο δὲ καὶ παροιμιακῶς λέγεται, ὅτι ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει· λέγεται δὲ διὰ τοὺς πρεσβυτέρους· ὅσῳ γηράσκουσι, τὸν θυμὸν ἐρρωμενεστέρον ἔχουσιν.* Eadem praebent G. C. 2, 66 et G. C. L. 2, 23.

Veterem ab Stasino poeta prolatum versum

νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει,

quem proverbii locum olim tenuisse tradidit Arist. Rhet. 1, 15 et 2, 21, attingit aperte Eur. Andr. 519: *καὶ γὰρ ἀνοία | μεγάλη λείπειν ἐχθροὺς ἐχθρῶν, | ἐξὸν κτείνειν | καὶ φόβον οἴκων ἀφελέσθαι.* Nam cum God. Hermann. sto, qui *ἐχθροὺς ἐχθρῶν* interpretatur „hostes eosdemque hostibus natos.“ Versum illum praeterea in Herc. fur. 166 obversatum esse poetae, affirmaverim Pflugk. secutus. Etiam Soph. sententiam videtur respexisse El. 964. Apte afferunt editores Herod. 1, 155 *ὁμοίως γάρ μοι νῦν γε φαίνομαι πεποιηκέναι, ὡς εἴ τις πατέρα ἀποκτείνας τῶν παίδων αὐτοῦ φείσαιτο.* Cf. Polyb. 24, 8, 9—10; Suid. s. v.

Teucer indignatus, quod domum reverso sibi immineant patris convicia, Troiae autem manere non possit propter inimicorum copiam, profert Soph. Ai. 1022

πολλοὶ μὲν ἐχθροί, παῦρα δ' ὠφελήσιμα,

quem versum invenimus in Mant. pr. 2, 64. Cuius colorem proverbialem Leutsch in adnotatione ad Zen. 5, 77 indicavit: quamquam elucet, poetam nostrum magis consentire cum verbis formaque quam cum sensu proverbiorum, quae ille affert: *πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦρα δέ τε βάκχοι* tum *πολλοὶ βουκέναι, παῦρα δέ τε γῆς ἀροτῆρες* (Diog. 7, 86) et alia.

Ex veterum superstitione affirmante, dona improborum exitio esse solere, natum est prov. Soph. Ai. 664

ἀλλ' ἔστ' ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία,
ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα.

Paucis moneo, *ἄδωρα δῶρα* eleganter dictum esse pro „dona funesta.“ Veteres (vid. Serv. ad Verg. Aen. 4, 496) tradunt, ductum esse prov. ex Hom. Iliad. *H* narrante, Hectorem et Aiacem inita amicitia dona inter sese permutasse atque Hectorem Aiaci gladium, Aiacem Hectori balteum dedisse; deinde alterum balteo esse tractum, alterum gladio se ipsum interemisse. Excerpserunt versum Zen. 4, 4; Diog. 4, 82 aliique, quos Lobeck. ad l. c. affert. Praeterea exhibuit senarium illum praeclarum schol. Eur. Med. 617; ibi enim Medea reiciens Iasonem offerentem uxori filiisque exsulibus pecuniam et quascunque alias res haec eloquitur: *κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει.*

Eadem opinio inest in eis verbis, quae Laocoon equum ligneum aspiciens facit Verg. Aen. 2, 49: „quicquid id est, timeo Danaos et dona ferentes“, unde nos mutuati sumus „Danaergeschenk“ de dono, cui quamvis magna commoda proponenti ne quid incommodi subsit timendum est.

c. Dicta praeceptaque ad artem vivendi pertinentia et ex usu vitae cotidianae petita.

α. de tacendo, loquendo, veritate.

Taciturnitatem laudant tria proverbia

χρὴ σιγᾶν ἢ κρείσσονα σιγῆς λέγειν (Mant. pr. 3, 46),

ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχε (Mant. pr. 3, 7, Mac. 4, 44 etc.)

ἀσφαλέστερον τοῦ λέγειν τὸ σιγᾶν (Mant. pr. 1, 28),

quae mihi in memoriam revocant versum ex Scriptura Sancta haustum „Schweigen hat seine Zeit, Reden hat seine Zeit“ et adagium nostrum „Reden ist Silber, aber Schweigen ist Gold.“ Etiam Latinorum eiusmodi dicta exstare, docet Otto s. tacere 2, 3. Et cum eadem sententia quamvis formis mutatis apud tragicos saepissime occurrat, non dubito locos eo pertinentes proverbiales existimare. Aesch. Sept. 619 de Amphiarao: *φιλεῖ δὲ σιγᾶν ἢ λέγειν τὰ καίρια*, Orestes chorum iubet Cho. 582 *σιγᾶν Ϡ' ὅπου δεῖ καὶ λέγειν τὰ καίρια*, idemque eloquitur, se matricidio inquinatum ab usu colloquioque hominum esse remotum, pergens Eum. 277 *ἐπίσταμαι . . . καὶ λέγειν ὅπου δίκη | σιγᾶν Ϡ' ὁμοίως*. Plut. Mor. 606 A laudat Eur. fr. 417 v. 2 *ἐπίσταμαι . . σιγᾶν Ϡ' ὅπου χρὴ καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές*. Paulo aliter sententiam expressit Soph. Oed. Col. 808

χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια,

qui versus in proverbium abiit testibus App. pr. 5, 36 et Ap. 18, 47. Huc spectat Soph. El. 1292

χρόνου γὰρ ἄν σοι καιρὸν ἐξείργοι λόγος,

quod App. pr. 5, 31 et Ap. 18, 36 explicant *ἐπὶ τῶν πολλὰ λεγόντων*. Idem poeta praedicat breviloquentiam atque taciturnitatem fr. 99 *βραχεῖ λόγῳ καὶ πολλὰ πρόσκειται σοφά*, fr. 79 *πόλλ' ἔχει σιγὴ καλά*, coll. fr. 843 v. 2 (= Ap. 8, 41 h), fr. 80 *τὰ γὰρ περισσὰ πανταχοῦ λυπήρ' ἔπη*, coll. fr. 100, quibus simillima Aesch. fr. 182 *πολλοῖς γάρ ἐστι κέρδος ἡ σιγὴ βροτῶν*, Ag. 848 *πάλαι τὸ σιγᾶν φάρμακον βλάβης ἔχω* et Eur. Or. 638 *ἔστι δ' οὗ σιγὴ λόγου | κρείσσων γένοιτ' ἄν, ἔστι δ' οὗ σιγῆς λόγος*, Phoen. 453 *βραδεῖς δὲ μῦθοι πλεῖστον ἀνύουσιν σοφόν*, fr. 28. Cf. Pind. Isthm. 1, 63, Simon. Ce. fr. 66.

Ap. 11, 93 a recepit Eur. Bacch. 369 *μῶρα γὰρ μῶρος λέγει*, quocum componantur G. C. 3, 69 *σοφία μωροῦ· ἐπὶ τῶν ἀσύνετα λαλούντων* et Ap. 11, 92 *μωρὸς σιωπᾶν οὐ δύναται*.

In App. pr. 3, 12 excerptum legimus Soph. fr. 840 *ἡ δὲ μωρία | μάλιστ' ἀδελφὴ τῆς πονηρίας ἔφυ*.

Veritatis amantes simpliciter aperteque solent loqui atque abhorrere ab ambiguitate ambagibusque. Itaque Aesch. fr. 170

ἁπλᾶ γάρ ἐστι τῆς ἀληθείας ἔπη

et Eur. Phoen. 469 *ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ*.

Reperitur prov. apud Diog. 2, 85 et Ap. 3, 62; Valckenar. ad Phoen. l. c. multos suggessit, qui prov. usurpaverunt, in eis Plut. de adul. et amic. discr. 30, p. 62 C (= Mant. pr. 2, 35), Isae. p. 87, 14, Lycurg. p. 152, 15; addo Plat. Crat. 405 C *κατὰ τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ἁπλοῦν, ταὐτὸν γάρ ἐστιν*. Cognata Latinorum collegit Otto s. veritas 1.

Quanta sit veritatis vis, docet Soph. Oed. Reg. 356

τἀληθὲς γὰρ ἰσχῦον τρέφω,

unde manavisse prov. *ἰσχυρὸν ἡ ἀλήθεια* (ap. Mac. 4, 81) eo est verisimilius, quod Stob. Flor. 13, 2 versus illius variam lectionem praebet *ἰσχυρόν* pro *ἰσχῦον*. Tum Soph. fr. 737 *τἀληθὲς ἀεὶ πλεῖστον ἰσχύει λόγου*, quod Nauck correxit proponens *ἰσχύειν λόγος* vel *λέγω*. Cognata sunt eiusd. fr. 526 *θάρσει· λέγω τἀληθὲς οὐ σφαλεῖ ποτε*, Ant. 1195 *ὀρθὸν ἀλήθει' ἀεί*.

Verba lenire animi morbos, Aeschylus Oceanum facit pronuntiantem Pr. 377

οὔκουν, Προμηθεῦ, τοῦτο γιγνώσκεις, ὅτι | ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι;

Suo iure Erasmus p. 613 arbitratur, hoc versu Graecos proverbio esse usos; nam et forma interrogandi et creber usus versus nostri aut eiusdem sententiae hanc comprobant opinionem. Notanda est varia lectio *ψυχῆς* pro *ὀργῆς*, quae occurrit ap. Plut. cons. ad Ap. 102 B, Eustath. 696, 33 et 1005, 21, Men. mon. 550 saepius; neque tamen intellego, cur hac re commoti viri docti codd. scripturam *ὀργῆς* in versu Aeschyleo mutandam censuerint. Aesch. fr. 443

ὀργῆς ματαίας εἰσὶν αἴτιοι λόγοι

bene coniecerunt originem ducere ab loco illo Promethei. Atque etiam Ap. 8, 96 d *θυμοῦ λόγος ἰατρός* et 10, 76 c *λόγος ἰατρὸς τοῦ κατὰ ψυχὴν πάθους* inde videntur fluxisse. Ceterum Erasmus l. c. de nostro doctissime plura exposuit. Similia leguntur Soph. Ai. 330, Oed. Col. 1193; Eur. fr. 954, fr. 1049, fr. 1064. Ab schol. Aesch. comparantur Hom. Il. O 393 et Men. fr. inc. 23 (Mein.); addo Men. fr. inc. 84, Hom. Il. *Λ* 793, Isocr. de pac. 167 A; Cic. Tusc. 3, 31 latine vertit locum, denique Horat. Epist. 1, 1, 34 „sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem | possis et magnam morbi deponere partem".

Ap. 6, 38 d adagiis adnumeravit Eur. fr. 656

δυοῖν λεγόντοιν, θατέρου θυμουμένου, | ὁ μὴ ἀντιείπων τοῖς λόγοις σοφώτερος,

quocum mirum in modum consentit prov. vernaculum „der Klügere giebt nach". Cf. Plut. Mor. 10 A.

β. de divitiis ac paupertate.

Quanti Graeci aestimaverint divitias, ostendit

χρήματ' ἀνήρ

quod Zen. 6, 43 dictis septem sapientium tribuit; Alc. fr. 49, Pind. Isthm. 2, 11 afferunt. Suo igitur iure Eur. Phoen. 438 *πάλιν μὲν οὖν ὑμνηθὲν, ἀλλ' ὅμως ἐρῶ· | τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα | δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει*, quorum versui alteri adscripserunt scholl.: *παροιμιώδης δὲ ὁ στίχος*. Cf. Soph. fr. 327 *κἄστι πρὸς τὰ χρήματα | θνητοῖσι τἄλλα δεύτερ'* et fr. tragg. adesp. 238 *χρυσὸς γάρ ἐστιν ὃς βροτῶν ἔχει κράτη*. Plura praebent Erasm. p. 535 et Otto s. pecunia 1.

Obscurius mihi est fr. Eur. 995, quod legimus in App. pr. 3, 69: *λίθων χοαί· ἄργυρος καὶ χρυσός, καὶ Εὐριπίδης φησί·*

λεύκους λίθους ἔχοντες αὐχοῦσιν μέγα.

Eadem habent Phot. Lex. 223, 16 et Suid. s. v. Cuius si sensus est „albi lapilli i. e. divitiae spiritus tollunt suis", apte huc rettulisse versum mihi videor.

Neque vero Graecos fugit, ignaviam inesse solere in hominibus divitibus. Unde fluxit prov. *δειλὸν ὁ πλοῦτος*, quod Zen. 3, 35 sic interpretatur: *παρόσον οἱ πλούσιοι τὰς οἰκίας ἀσφαλίζονται καὶ κύνας τρέφουσι καὶ πολλὰς ἑαυτῶν ποιοῦνται φυλακάς*, cf. Diog. V. 2, 33 et Mac. 3, 27. Bis prov. adhibuit Euripides:

Phoen. 597 (=Ap. 5, 89 a) *δειλὸν ὁ πλοῦτος καὶ ψιλόψυχον κακόν*

et fr. 237 *ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθία δειλόν θ' ἅμα.*

Iam antea Hes. Opp. 686 *χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δείλοισι βροτοῖσι* et Bacchyl. fr. 30 *πλοῦτος δὲ καὶ δειλοῖσιν ἀνθρώπων ὁμιλεῖ*, tum Aristoph. Plut. 202 *δειλότατόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος.*

Fortasse ex Eur. fr. 773 . . . *ἆρ' ὄλβος αὐτοῖς ὅτι τυφλὸς συνηρετεῖ κτλ.* Mac. 8, 60 petivit

τυφλὸς ὁ πλοῦτος,

addens *ἐπὶ τῶν ἀναξίως εὐπραγούντων.* Leutsch ad h. l. adnotat, saepius usurpari hoc prov.

Cum Ap. 17, 47 a proverbiale iudicaverim Eur. fr. 441

ὕβριν τε τίκτει πλοῦτος, οὐ φειδὼ βίου,

praesertim cum meminerim Prov. Salom. 5, 11 „den Reichen lässt die Übersättigung nicht schlafen.“ Cf. eiusd. fr. 633 *πολλῶν τὰ χρήμαθ' αἵτιν' ἀνθρώποις κακῶν* et fr. 810.

Aliud ab Ap. 17, 61 b receptum fr. Eur. (424) de divitiis caducis infirmisque haec profert:

ὑπόπτερος ὁ πλοῦτος· οἷς γὰρ ἦν ποτε, | ἐξ ἐλπίδων πίπτοντας ὑπτίους ὁρῶ.

Ut opulentia cum pravitate ignaviaque coniuncta esse dicitur, ita inopiam sapientiae participem praedicat prov. (ap. Zen. 5, 72, G. C. 3, 53, Diog. V. 3, 59 etc.)

πενία σοφίαν ἔλαχε,

cuius auctor est Eur. fr. 642

ἐν τῷ γὰρ ὄλβῳ φαυλότης ἔνεστί τις, | πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ δυστυχές.

Vid. Eur. fr. 53 v. 9—10, fr. 97, fr. 248.

Cognatum est Eur. fr. 709

χρεία διδάσκει, κἂν βραδύς τις ᾖ, σοφόν

in proverbium versum auctore Suid. s. *χρεία.* Miror, quod paroem. praeter Ap. 18, 41 a id non receperunt. Cf. Eur. fr. 55, v. 3—4 *πενία δὲ δύστηνον μὲν, ἀλλ' ὅμως τρέφει | μοχθοῦντ' ἀμείνω τέκνα καὶ δραστήρια.* Appono nostratium sententiam vulgatam „Not macht erfinderisch“ et prov. Romanorum „paupertas artis omnis perdocet“ ex Plaut. Stich. 178 haustum. Similia comportavit Otto s. paupertas, qui etiam Horatiani illius (epist. 2, 2, 51) mentionem facit „paupertas impulit audax ut versus facerem.“

γ. de rebus secundis atque adversis.

Versus, quo inducit Aesch. opinionem affirmantem, magnam felicitatem parere semper calamitatem, aperte ostendere mihi videtur, dictum fuisse proverbialiter celebratum; legimus enim Ag. 750 *παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος | τέτυκται, μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον | τεκνοῦσθαι μηδ' ἄπαιδα θνήσκειν, | ἐκ δ' ἀγαθᾶς τύχας γένει | βλαστάνειν ἀκόρεστον οἰζύν* et Sept. 769 *πρόπρυμνα δ' ἐκβολὰν φέρει | ἀνδρῶν ἁλφησιῶν ὄλβος ἄγαν παχυνθείς.* Cf. Soph. Tr. 296 sq., Phil. 505 sq., Oed. R. 1189 sqq., Eur. fr. 264 *χὠ πρὶν εὐτυχῶν πίτνει* et fr. 392, quod exorditur hoc versu colore proverbiali non carente *ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν κτλ.*, coll. Hel. 417 sqq., Herc. fur. 1291 sq., Hec. 956 sq. Ex aliis vid. Pind. Pyth. 3, 105, Ter. Phorm. 243—245, Ovid. rem. am. 323 „et mala sunt vicina bonis,“ denique nostrum „Glück und Unglück sind nahe bei einander.“

Quod nostrates dicere solent „ein Unglück kommt selten allein“ aut „ein Unglück bringt das andere auf dem Rücken“, idem significat prov.

κακὸν ἐπὶ κακῷ,

quod afferunt Mac. 4, 100, Ap. 15, 15 necnon Zen. 5, 69 comparans cum cognato *πῦρ ἐπὶ πῦρ*, praeterea Mac. profert *κακὸν κακῷ ἕπεται.* Tragici passim adagium usurpant plus minusve commutantes. Aesch. Pers. 530 *μὴ καί τι πρὸς κακοῖσι προσθῆται κακόν*, Soph. Oed. Col. 595 *δεινα πρὸς κακοῖς κακά*, Oed. R. 666 *κακοῖς κακὰ προσάψει*, Phil. 1265 *πρὸς κακοῖσι πέμποντες κακόν*, Eur. Hipp. 874 *οἴμοι, τόδ' οἷον ἄλλο πρὸς κακῷ κακόν*, Alc. 557 *πρὸς κακοῖσιν ἄλλο τοῦτ' ἂν ἦν κακόν*, Cycl. 683 *κακόν γε πρὸς κακῷ*, Phoen. 1704 *ἢ πρὸς κακοῖς ἐρεῖς κακά*, Herc. fur. 1075 *πρὸς δὲ κακοῖς κακὰ μήσεται*, ibid. 1213 *κακὰ θέλων κακοῖς συνάψαι*, Phoen. 1337, 1347, 1427,

Heracl. 482, Bacch. 838, Andr. 352, 802, Med. 78, Hec. 588, 690, Troad. 596, 621, Hipp. 866. Praeierant Hom. Il. *Π* 111 et *Τ* 290, Her. 1, 67 *πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται.* Apud Latinos idem reperimus (cf. Otto s. malum 1, 2) velut 7, 4, 7 „malum malo augere", Ter. Eun. 988 „aliud ex alio malum". De prov. cognato *κακοῖς ἰᾶσθαι κακά* in diss. m. p. 78 disserui.

Verba praemissa satis demonstrare videntur, colore proverbiali esse tinctum hunc locum Aesch. Pers. 598

κακῶν μὲν ὅστις ἔμπειρος κυρεῖ, | ἐπίσταται βροτοῖσιν ὡς, ὅταν κλύδων | κακῶν ἐπέλθῃ, πάντα δειμαίνειν φιλεῖ· | ὅταν δ' ὁ δαίμων εὐροῇ, πεποιθέναι | τὸν αὐτὸν ἀεὶ δαίμον' οὐριεῖν τύχης.

Ap. 13, 13 c excerpsit duos versus posteriores. Comparari licet Eur. fr. 735

ἀσύνετος ὅστις ἐν φόβῳ μὲν ἀσθενής, | λαβὼν δὲ μικρὸν τῆς τύχης φρονεῖ μέγα

quod recepit Ap. 4, 13 a.

In rebus afflictis verecundiam abici iubet Soph. fr. 843

αἰδὼς γὰρ ἐν κακοῖσιν οὐδὲν ὠφελεῖ,

quem versum proverbiis assignat Mant. pr. 1, 5. Iam ap. Hom. Od. *ρ* 347 (= Plat. Charm. 161 A) legitur *αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.* Plura de adagii huius sensu et vi exposuit Erasm. p. 488.

Proverbialis erat senarius ab Diog. 7, 35 et Ap. 12, 45 allatus

οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα,

cuius de auctore dissentientes alii Aeschylo (fr. 310), alii Sophocli (fr. 849) tribuunt. Eodem videtur spectare Eur. fr. 791 *μακάριος ὅστις εὐτυχῶν οἴκοι μένει.* Praeiit Hesiod. opp. 365 *οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφιν.* Cf. *οἴκοι γενοίμην* ab App. pr. 4, 14, G. C. L. 2, 88, Ap. 12, 38 explanatum *ἐπὶ τῶν ἐκφυγεῖν τὰ δεινὰ εὐχομένων.*

Quod legimus apud Hom. Od. o 400 *μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνήρ, | ὅστις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ καὶ πόλλ' ἐπαληθῇ*, qui versus in prov. cesserunt, et ap. Cic. de fin. 2, 32, 105 „iucundi acti labores" (cf. Otto s. labor 1), idem habet Eur. fr. 664

ἦν εὐτυχῇ γάρ, ὥσπερ ἡ παροιμία,
πόνος πονηθεὶς οὐκέτ' ἀλγύνει βροτούς,

cuius lectionem vitiosam sic correxit Schneidewin (Philolog. IX p. 156 sqq.). Hic igitur exit sensus: ubi bene perficitur opus laboriosum, homines laborum obliviscuntur. Cognata Eur. fr. 131 *ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι κακῶν*, Aesch. Ag. 806 *εὔφρων πόνος εὖ τελέσασιν*, Soph. fr. 345 *μόχθου γὰρ οὐδεὶς τοῦ παρελθόντος λόγος* (= Mant. pr. 2, 24), fr. 344 *πόνου μεταλλαχθέντος οἱ πόνοι γλυκεῖς*, Ai. 264 *φρούδου γὰρ ἤδη τοῦ κακοῦ μείων λόγος* (= G. C. L. 3, 25, Ap. 17, 99). Cf. Phil. 637 sq.

Praeceptum erat

μὴ κινεῖν κακὸν εὖ κείμενον·

ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς κακὰ ἐγειρόντων interprete Diog. 6, 54; cf. Diog. V. 3, 23, G. C. L. 2, 78, Mac. 5, 91, Ap. 11, 44, schol. Plat. Phileb. p. 382, Suid. s. v. Usurpat prov. Soph. Oed. Col. 510 *δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον ἤδη κακὸν, ξεῖν', ἐπεγείρειν*, quocum comparentur Soph. Ai. 787 et Eur. fr. 337. Vulgatam fuisse sententiam, cognoscitur ex Theogn. 423, Plat. Phileb. 59 E, Hyperid. ap. schol. Plat. l. c.

Simile percrebuit

μὴ κινεῖν τἀκίνητα sive *ἀκίνητα κινεῖν*

obvium ap. Zen. 1, 55, Diog. 2, 6, Diog. V. 1, 25, G. C. L. 1, 62, Mac. 1, 66, Ap. 2, 3; dicebatur *καθ' ὑπερβολήν, ὅτι μὴ δεῖ κινεῖν μήτε βωμοὺς μήτε τάφους ἢ ἡρῷα.* Occurrit paulo mutatum apud Soph. Oed. Col. 624 *οὐ γὰρ αὐδᾶν ἡδὺ τἀκίνητ' ἔπη*, ubi schol. bene *τἀκίνητα· οἷον τὰ ἄρρητα.*

Idem vox significat Soph. Ant. 1060, coll. Oed. Col. 1526. Fons proverbii videtur Hesiod. opp. 750; tum id legimus apud Herod. 6, 134, Thuc. 2, 24, 1, Plat. Theaet. 181 A, Legg. 11, 913 B, alios recentiores.

δ. de sperando.

Hominis est meliora sperare in rebus adversis, cf. Hor. carm. 2, 10, 12. Huc spectant Iocastae verba ad Polynicem facta Eur. Phoen. 396

αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος.

Adnotavit schol. ad h. l. *ἐντεῦθεν ἡ παροιμία· αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι τοὺς κενούς βροτῶν*, quem versum affert App. pr. 1, 59. Simillimum huic versui Soph. fr. 863 *ἐλπὶς γὰρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν*. Sed utrum varia lectio *κενούς — πολλούς* casu an consulto sit orta, deinde utra lectio sit praeferenda, equidem diiudicare non audeo. Etiam Aesch. Ag. 1668: *οἶδ' ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας ἐλπίδας σιτουμένους*. Locutio *ἐλπίσιν βόσκεσθαι* recurrit ap. Soph. Ant. 1246, Eur. Bacch. 617; comparari potest *ἐν ἐλπίσιν τρέφω* sive *δι' (ὑπ') ἐλπίδος τρέφεσθαι* ap. Soph. Ant. 897, Eur. fr. 823, Bacch. 351.

Saepe autem spes fallunt homines inanesque evadunt. Itaque Eur. fr. 273

πτηνὰς διώκεις, ὦ τέκνον, τὰς ἐλπίδας,

quod una cum prov. *διώκει παῖς ποτανὸν ὄρνιν* in diss. m. p. 20 tractavi. Idem sensus subest versui ab Ap. 9, 67 recepto Soph. Ai. 478 *κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνειαι*, quocum componantur Aesch. Pers. 804 *κεναῖσιν ἐλπίσιν πεπεισμένος* et Eur. I. A. 987 *κενὴν κατέσχον ἐλπίδ'*. De spei fallacitate cf. Aesch. Suppl. 95 sqq.; Soph. Ant. 615 sq., fr. 198; Eur. Bacch. 907 sqq., Suppl. 479, fr. 652. Otto s. spes 2.

Contra affirmat Eur. fr. 761

ἄελπτον οὐδὲν, πάντα δ' ἐλπίζειν χρεών,

quod Ap. 1, 38 g proverbiis vindicat. Ad verbum consentiunt Eur. Ion. 1510 *μηδεὶς δοκείτω, μηδὲν ἀνθρώποις ποτὲ | ἄελπτον εἶναι* et Soph. Ai. 648 *κοὐκ ἔστ' ἄελπτον οὐδέν*. Cf. Aesch. Pr. 536 sqq., Ag. 994, Eur. Herc. fur. 105 sq., fr. 412, 823.

ε. de tempore.

Saepissime tragici tempus laudant omnium rerum magistrum. Quam sententiam proverbialem fuisse, docet senarius

σύμβουλός ἐστιν ὁ χρόνος τῶν πραγμάτων

obvius in App. pr. 4, 78, G. C. 3, 65, Ap. 15, 82 et ap. Men. mon. 479 in hac forma *σύμβουλος οὐδεὶς ἐστι βελτίων χρόνου*. Satis sit ex tragicis hic delectus exemplorum: Aesch. Pr. 981 *ἐκδιδάσκει πάνθ' ὁ γηράσκων χρόνος*, Soph. fr. 598 *γῆρας διδάσκει πάντα καὶ χρόνου τριβή* (= Ap. 5, 41 a), Eur. fr. 293 *ὁ γὰρ χρόνος δίδαγμα ποικιλώτατον*, Suppl. 419 *ὁ γὰρ χρόνος μάθησιν ἀντὶ τοῦ τάχους κρείσσω δίδωσι*. Cf. Soph. El. 330, Oed. Col. 580, 617, 852, Oed. Reg. 617 (= Ap. 17, 98 b); Eur. Hipp. 252, Ion. 575. Idem fere valet a Latinis (e. gr. Cic. p. Rab. 4, 9, Caes. b. civ. 2, 8, 3, Ovid. art. am. 2, 676) tritissimum: „usus est magister optimus“. Cf. Otto s. v.

Tempus ad lucem proferre omnia, affirmant Soph. fr. 832

πάντ' ἐκκαλύπτων ὁ χρόνος εἰς τὸ φῶς ἄγει,

fr. 280 *ὁ πάνθ' ὁρῶν | καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος,*

Oed. Reg. 614 (= Ap. 18, 41 c), Ai. 646, Oed. Col. 1484, fr. 833; Eur. fr. 38 *ὁ χρόνος ἅπαντα τοῖσιν ὕστερον φράσει*, fr. 559 *ὁρῶ γὰρ χρόνῳ | δίκαν πάντ' ἄγουσαν εἰς φῶς βροτοῖς*, fr. 45, 61, 223, 305, 444, 509, Hipp. 428; Aesch. Suppl. 993 *γράψεσθε . . , ἀγνῶθ' ὅμιλον ὡς ἐλέγχεσθαι*

χρόνῳ. Tam eiusdem sententiae frequentatio quam haud rarus verborum consensus demonstrant, haec dicta in proverbiorum consuetudine fuisse; nec Erasmus aliter sensit, qui aliorum scriptorum permulta exempla p. 423 contulit, atque Otto s. tempus 5 magnam copiam similium ex scriptoribus Latinis hausit, quorum affero: Sen. de ira 2, 22, 3 „veritatem dies aperit“, Hor. ep. 1, 6, 24 „quicquid sub terra est, in apricum proferet aetas“. Denique appono nostra „die Sonne bringt es an den Tag“ et „es kommt alles an den Tag“.

Tum dicebatur tempus incommoda minuere doloremque lenire, quae opinio cum apud Latinos (cf. Ter. Heautont. 422; Cic. ep. ad fam. 4, 5, 6; 5, 16, 5; 6, 4, 3; 7, 28, 3; alios ap. Otto s. dies 6) et in sermone patrio velut „die Zeit heilt alle Wunden“ sive „die Zeit ist der beste Arzt“ tum apud Graecos adeo est in omnium ore vulgata, ut huc pertinentia dicta proverbiis vindicanda censeam secutus Erasm. p. 445. Adscribo ex tragicis haec: Soph. El. 179

χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός,

quod habet Ap. 18, 41 f praeclare explanans *ὅτι εὐκόλως πάντα μαλάττει καὶ πάντα δαπανᾷ*. Soph. fr. 868 a *χρόνος ἀμαυροῖ πάντα κεἰς λήθην ἄγει*, Ai. 714, Oed. Col. 609 sqq., quos versus exhibuit Ap. 15, 88 b. Aesch. Ag. 857 *ἐν χρόνῳ δ' ἀποφθίνει | τὸ τάρβος ἀνθρώποισιν*, coll. Eum. 286. Eur. Alc. 381 = 1085 *χρόνος μαλάξει*, Or. 1201 *χρόνῳ μαλάξειν σπλάγχνον*, fr. 306, Iph. A. 694. Ex aliis satis sit attulisse Men. fr. 677 *πάντων ἰατρὸς τῶν ἀναγκαίων κακῶν χρόνος ἐστίν· οὗτος καὶ σὲ νῦν ἰάσεται* et Diph. fr. 117 (Kock) *ὁ κοινὸς ἰατρός σε θεραπεύσει χρόνος*, quod recepit Ap. 12, 55 a.

Adiungo proverbium admonens, ne consilium praecipitetur,

ἐν νυκτὶ βουλή,

quod Zen. 3, 97 sic interpretatur: *ἐπειδὴ ἡσυχίαν ἔχει ἡ νὺξ καὶ δίδωσι καιρὰ σχολὴν λογισμοὺς τοῖς περὶ τῶν ἀναγκαίων βουλευομένοις*. Cf. Diog. Vind. 2, 46, G. C. L. 2, 4, Ap. 7, 47; Erasm. p. 370. Aperte id respiciunt Eur. Her. 993 *καὶ πόλλ' ἔτικτον νυκτὶ συνθακῶν ἀεί* et Hipp. 375 *ἤδη ποτ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρόνῳ | θνητῶν ἐφρόντισ' ἦ διέφθαρται βίος*. Cf. Men. mon. 150 *ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖσι γίγνεται*, Herod. 7, 12 *νυκτὶ δὲ βουλὴν διδοὺς πάγχυ εὕρισκε κτλ.*, Plat. Them. 26.

Postremum hic profero Pittaci apophthegma in proverbium versum (cf. Mant. pr. 2, 59)

καιρὸν γνῶθι,

quod respicientes permulti admonent, ut in omnibus rebus iustum tempus deligatur neve occasio apta praetermittatur. Soph. El. 75 *καιρὸς γάρ, ὅσπερ ἀνδράσιν | μέγιστος ἔργου παντός ἐστ' ἐπιστάτης*, Oed. R. 1516 *πάντα γὰρ καιρῷ καλά*, Phil. 837 *καιρός τοι πάντων γνώμαν ἴσχων | πολύ τι πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται*, quocum apte comparant editores nostrum „frisch gewagt ist halb gewonnen“. Ex Eur. Hec. 1042 *ἀκμὴ καλεῖ | Ἑκάβῃ παρεῖναι* G. C. M. 2, 33 hausit proverbium

ἀκμὴ καλεῖ.

Similia praebet Ap. 9, 42 *καιρὸς ψυχὴ πράγματος*, 9, 57 *κακὸν τὸ καλόν, ἤν τι μὴ καιροῦ τύχῃ*, 9, 24 c *καιρῷ δουλεύειν καὶ θεὸς ὢν ἔμαθον*. Denique cf. Theogn. 401 *καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος | ἔργμασιν ἀνθρώπων*, Pind. Pyth. 9, 78 *ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως | παντὸς ἔχει κορυφάν*, Pyth. 1, 81, Ol. 13, 47; Men. mon. 273, 307, 676, 752. Plura vid. ap. Erasm. p. 231 sq. et ap. Otto s. „venito in tempore“.

ζ. cetera huc spectantia.

Primum locum obtineant dicta illa tria, quae in vestibulo templi Delphici inscripta fuisse dicuntur: *γνῶθι σεαυτόν, μηδὲν ἄγαν, ἐγγύα πάρα δ' ἄτα.*

Oceanus Prometheum vinctum, ne nimis Iovis veterumque deorum arbitrium contemnat, his admonet Aesch. Pr. 309

γίγνωσκε σαυτὸν καὶ μεθάρμοσαι τρόπους | νέους

Receperunt *γν. σ.* Diog. Vind. 2, 10, G. C. L. 1, 76, Mac. 3, 3, Ap. 5, 56, Mant. pr. 1, 43; App. pr. 1, 80 addit *ἐπὶ τῶν ὑπὲρ δύναμιν κομπαζόντων.* De hoc dicto nobilissimo erudite disseruerunt Erasm. p. 207, editores Gotting. in adnott. ad App. pr. 1, 80 et Diog. V. 2, 10, Otto s. noscere 1. Karsten (Symbol. litt. Batav. 2, 57 sqq.) de tribus dictis Delphicis scripsit.

In proverbii consuetudine fuisse etiam alterum Delphicum

μηδὲν ἄγαν,

pro certo habemus ex Plat. Phileb. 45 D, G. C. L. 2, 79, Mac. 5, 90, Ap. 14, 30. Legitur ap. Pind. fr. 235, Plat. l. c. et Charm. 165 A, Arist. Rhet. 2, 21, Plut. v. Cam. 6; apud tragicos bis occurrit: Eur. Hipp. 264 *οὕτω τὸ λίαν ἧσσον ἐπαινῶ | τοῦ μηδὲν ἄγαν· | καὶ ξυμφήσουσι σοφοί μοι* et Soph. Oed. Col. 1693 *τὸ φέρον ἐκ θεοῦ καλῶς | μηδὲν ἄγαν φλέγεσθον,* quibus chorusAntigonam Ismenamque patrem mortuum lamentantes consolatur. Plura ap. Erasm. p. 208 et Otto s. nimis. Formam sententiae paulo variavit Eur. Phoen. 584 *μέθετον τὸ λίαν,* fr. 208 *αἰδεῖσθαι δὲ χρὴ, | γύναι, τὸ λίαν,* fr. 260 *τῷ γὰρ βιαίῳ κἀγρίῳ τὸ μαλθακὸν | εἰς ταὐτὸν ἐλθὸν τοῦ λίαν παρείλετο,* quod mirum quantum consentit cum loco illo Schilleri nostri „denn wo das Strenge mit dem Zarten, Wo Starkes sich und Mildes paarten, Da giebt es einen guten Klang.“.

Tertium Delphicum

ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα

pluribus reddit Eur. fr. 915 *οὐκ ἐγγυῶμαι, ζημίαν φιλεγγύων | σκοπῶν· τὰ Πυθοῖ δ' οὐκ ἐᾷ με γράμματα.* Plat. Charm. 165 id affert ibique schol.: *παροιμία ἐ. π. δ' ἄ. ἐπὶ τῶν ῥᾳδίως ἐγγυωμένων καὶ κακῶς ἀπαλλαττόντων.* Eandem interpretationem praebent Mac. 3, 47 et G. C. L. 2, 18; App. pr. 2, 5 habet hanc formam *ἐγγύῃ πάρα δ' ἄτα* et Ap. 6, 48 *ἐγγύην φεύγειν.* Cf. Epicharm. fr. inc. 26 *ἐγγύα δ' ἄτας θυγάτηρ, ἐγγύας δὲ ζαμία.*

Schol. ad Soph. Oed. Col. 1211

ὅστις τοῦ πλέονος μέρους | χρῄζει τοῦ μετρίου παρείς
ζώειν, σκαιοσύναν φυλάσ- | σων ἐν ἐμοὶ κατάδηλος ἔσται

adscripsit *ἔοικε τῷ Ἡσιοδείῳ* (opp. v. 40)

νήπιοι οὐδὲ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

Profecto apparet, poetae obversatum esse versum Hesiodeum, qui in prov. transiit testibus App. pr. 4, 7, ubi haec explicatio *ἔσθ' ὅτε πλειόνων τις ἐπιθυμῶν ἀποβάλλει καὶ ἃ ἔχει. παραινεῖ γοῦν μὴ ἐπιθυμεῖν πλέον,* G. C. L. 2, 89, Ap. 12, 9 c, Mac. 6, 53. Dicit igitur chorus loco illo: stultus est, qui maiora ad vivendum expetit modicum neglegens. Adhibuerunt praeceptum Hesiodi Plat. Reip. 5, 466 C, Legg. 3, 690 E, Diog. Laert. 1, 42, Dio Chrys. 17, p. 250. Cf. Suid. s. v. et s. *ἡμίσεια;* Eust. ad Hom. Od. ϱ p. 1822, 45; Otto s. dimidius. Huc pertinere videntur Eur. fr. 246 *ὀλίγοι γὰρ ἐσθλοὶ κρείσσονες πολλῶν κακῶν,* fr. 358 *ὀλίγους ἐπαινῶ μᾶλλον ἢ πολλοὺς κακούς,* ubi Matthiae ad *ὀλίγους* adnotat: „nimirum *ἀγαθούς,* omisso vocabulo, quod in opposito latet“; denique fr. 357 ab Herwerden. sic correctum (= Ap. 11, 96 a) *ναὸς μεγίστης κρεῖσσον ἦν μικρὸν σκάφος.*

Propter inconstantiam fortunae humanae, de qua saepe queruntur poetae, frequentissimae tragicorum sententiae admonent, ne quis ante mortem beatus praedicetur. Quis est,cui non in mentem veniat fabulae illius celeberrimae, quam Herod. 1, 29—33 narrat de Croeso et Solone, verborumque *ὅρα τέλος μακροῦ βίου,* quae a Diog. 8, 51 et Ap. 16, 30 sunt recepta? Itaque iure ac merito Soph. Trach. 1

λόγος μέν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς, | ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμά-
θοις βροτῶν, πρὶν ἄν | θάνῃ τις, οὔτ' εἰ χρησιὸς οὔτ' εἴ τῳ κακός.

Primus versus satis superque indicat, sententiam proverbialem esse habendam. Accedit, quod schol. Ven. ad Hom. Il. Θ 5 notat, in prov. abiisse idem valens Soph. fr. 596

μήπω μέγ' εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς.

Paroemiographi autem praeter Arsenium et haec dicta et, quae sequuntur, omiserunt. Soph. idem expressit Oed. Reg. 1528 sqq., fr. 583. Eur. haec praebet: Andr. 100 *χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν, | πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς | ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω*, Her. 864 *μαθεῖν, | τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζηλοῦν, πρὶν ἂν | θανόντ' ἴδῃ τις*, Troad. 509 *τῶν δ' εὐδαιμόνων | μηδένα νομίζετ' εὐτυχεῖν, πρὶν ἂν θάνῃ*, denique El. 953 sqq. Aeschylus contra eiusmodi dicta habere non videtur, nisi forte huc refers Ag. 928 *ὀλβίσαι δὲ χρὴ | βίον τελευτήσαντ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ*. Otto s. mors 3 recepit Ov. met. 3, 136 „dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet". Cf. Ies. Sir. 11, 29: „Darum sollst du niemand rühmen vor seinem Ende."

Mortales nimium spirare, vetat praeceptum saepe usurpatum Eur. fr. 77

φρονεῖν δὲ θνητὸν ὄντ' οὐ χρὴ μέγα,

quod Mant. pr. 3, 39 bene proverbiis attribuit. Cf. Eur. Alc. 799 *ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρέων*, Iph. A. 31, Bacch. 395, 1002, fr. 422, 796, 976, 1060 etc. Apud Aesch. legimus Pers. 820 *οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν* et apud Soph. fr. 528 *θνητὰ φρονεῖν χρὴ θνητὴν φύσιν* et fr. 320 *καλὸν φρονεῖν τὸν θνητὸν ἀνθρώποις ἴσα*. Cf. Plin. ep. 5, 3, 2 „homo sum" et Petron. 75 „homines sumus, non dei", de quibus vid. Otto s. homo 2.

Si qui nimis se efferebant, poena iis imminebat, nam, ut ait Aesch. Pers. 827,

Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόπων ἄγαν | φρονημάτων ἔπεστιν.

Quocum mirum quantum consentit Eur. Her. 387

τῶν φρονημάτων | ὁ Ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων,

quem versum excerpsit Ap. 12, 35 a. Ex quo insigni verborum consensu colligere licet, hoc dictum proverbiale fuisse. Cf. Eur. Or. 708, fr. 964.

Neque grandiloquus imprudensque homo poenam effugit; vid. Aesch. Prom. 329 (= Ap. 5, 55 a)

γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προστρίβεται

et Eur. Herc. fur. 1244 *ἴσχε στόμ', ὡς μὴ μέγα λέγων μεῖζον πάθῃς*.

Itaque solebant Graeci, ubi quis quid insolentius videbatur dixisse, ad evitandam invidiam proverbii instar addere

προσκυνῶ τὴν Νέμεσιν sive *τὴν Ἀδράστειαν*,

de quo Plat. reip. 5, 451 A, Demosth. orat. 25, 57. Quam consuetudinem laudat Aesch. Pr. 936 *οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί*. Rhesus orationi suae insolentiori praefatur Rhes. 468 *σὺν δ' Ἀδραστείᾳ λέγω* atque v. 342 chorus *Ἀδράστεια μὲν ἁ Διὸς παῖς | εἴργοι στομάτων φθόνον*. Cf. Soph. Phil. 776 *τὸν φθόνον δὲ πρόσκυσον*. Quos locos recte, ut mihi videtur, Erasm. pp. 372, 474 et Wyttenbach ad Plat. Phaed. 95 B proverbiis vindicant necnon permulta similia suggesserunt.

Pervagatum nostrum „irren ist menschlich", apud Cic. Phil. 12, 2, 5 sic obvium „cuiusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare" (cf. Otto s. homo 3), iam apud Graecos proverbii vim obtinuisse, colligo ex usu crebro. In tragicis haec repperi: Soph. Ant. 1024

ἀνθρώποισι γὰρ | τοῖς πᾶσι κοινόν ἐστι τοὐξαμαρτάνειν,

Eur. Hipp. 615 *ἁμαρτεῖν εἰκὸς ἀνθρώπους*, v. 1434 *ἀνθρώποισι εἰκὸς . . ἐξαμαρτάνειν*, Aesch. fr.

382 *ἁμαρτάνει καὶ σοφοῦ σοφώτερος.* Otto l. c. enumerat Theogn. 327, Simon. fr. 83, Xen. Cyr. 5, 4, 19, Men. fr. 499, Luc. Demon. 7.

Testibus App. pr. 4, 83 et Mac. 8, 48 proverbii locum obtinuit Eur. Hipp. 785

τὰ πολλὰ πράσσειν οὐκ ἐν ἀσφαλεῖ βίου

dictum *ἐπὶ τῶν εἰς κίνδυνον ἐμπιπτόντων διὰ τὸ πολλὰ πράττειν.* Similia Eur. fr. 193 *ὅστις δὲ πράσσει πολλά, μὴ πράσσειν χρεών,* | *μῶρος,* fr. 580 (= Ap. 12, 97 a) *ὃ πλεῖστα πράσσων πλεῖσθ' ἁμαρτάνει βροτῶν,* Soph. Ant. 68 *τὸ γὰρ* | *περισσὰ πράσσειν οὐκ ἔχει νοῦν οὐδένα.* Cf. Men. mon. 723 *τὰ πολλὰ πράττειν κώδύνας πολλὰς ἔχει.*

Integritatem morum vel antiquissimis temporibus raram fuisse virtutem Graecorum, satis constat. Unde auctore Diog. 4, 21 *ἐπὶ τῶν διὰ δῶρα τὰς δίκας ἀντιστρεφόντων* dicebatur ab Hesiodo (fr. 180)

δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας.

Cf. G. C. 2, 18, G. C. M. 2, 83, Ap. 6, 42, Mac. 3, 43. Adhibuit prov. Eur. Med. 964

πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος,

ubi voce *λόγος* poeta speciem proverbialem dicti videtur adumbrare voluisse. Legitur etiam ap. Plat. reip. 3, 390 E. Ovid. art. am. 3, 653 nostrum videtur imitatus esse „Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque; Placatur donis Iuppiter ipse datis.“

Ob formae similitudinem appono Aesch. fr. 156 v. 1

μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἑρᾷ,

quem Ap. 11, 76 proverbiis attribuit et proferunt Arist. Ran. 1392, schol. Soph. El. 139, schol. Eur. Alc. 55.

Schol. Plat. Lys. 216 C (= Mac. 8, 41, Ap. 16, 87) docet, *ἐπὶ τῶν τὸ συμφέρον αἱρουμένων* esse dictum prov. *τὸ καλὸν φίλον,* quod in versibus intercalaribus Eur. Bacch. 881 et 901 legimus

ὅ τι καλὸν, φίλον ἀεί.

Cf. Theogn. 17 *ὅττι καλὸν, φίλον ἐστί· τὸ δ' οὐ καλόν, οὐ φίλον ἐστίν.*

Quod in omnium nostratium ore versatur sumptum ex Prov. Sal. 10, 2 „Unrecht Gut gedeiht nicht“, idem reperimus in tragicis Graecis. Soph. Oed. Col. 1026

τὰ γὰρ δόλῳ | *τῷ μὴ δικαίῳ κτήματ' οὐχὶ σώζεται,*

ubi *κτήματ'* constructum est, quasi esset participium pass., i. e. „acquisita iniusto dolo.“ Quocum concinit Eur. fr. 364 v. 13 (= Ap. 1, 34 g)

τὰ γὰρ κακῶς | *οἴκους ἐσελθόνι' οὐκ ἔχει σωτηρίαν.*

Cf. Eur. fr. 356 *οὔτε γὰρ πλοῦτός ποτε* | *βέβαιος ἄδικος* et fr. 822 *κρείσσων δὲ βαιὸς ὄλβος ἀβλαβὴς βροτοῖς* | *ἢ δῶμα πλούτῳ δυσσεβῶς ὠγκωμένον.* Quae dicta proverbialia fuisse affirmaverim.

Philoctetes ab Neoptolemo certior factus, Thersiten vivere, eloquitur Soph. Phil. 446

. . οὐδέν πω κακόν γ' ἀπώλετο,

quod in proverbium abiisse, apparet ex Mac. 6, 76 *οὐδὲν κακὸν ῥᾳδίως ἀπόλλυται· ἐπὶ τῶν εὖ πραττόντων πονηρῶν* (= Phryn. Bekk. p. 40, 21). Respondet nostrum „Unkraut verdirbt nicht“. Legenti Ap. 9, 36 „*κακὸν ἄγγος οὐ κλᾶται*“ *παραπλησία τῇ „κακὸς ἀνὴρ μακρόβιος*“ mihi in mentem venit eorum locorum, quibus tragici affirmant, Martem fortissimum quemque prosternere, imbelles autem non curare, velut Aesch. fr. 94, Suppl. 665; Soph. Phil. 436, fr. 652; Eur. fr. 728. Cf. Anacr. fr. 101.

Suidas s. v. *Εὐμενίδες* exscripsit Soph. Oed. Col. 43

ἄλλα δ' ἀλλαχοῦ καλά

addens *καὶ παροιμία. παρόσον ἄλλοι ἄλλοις ὀνόμασιν καλοῦσιν αὐτάς.* Sunt enim peregrini Oedi-

podi interroganti, quo in sacro versetur, respondentis, incolas quidem id vocare *Εὐμενίδων* dearum, sed alibi alia eis esse nomina. Cf. App. pr. 3, 40. Prov. recurrit ap. Pind. fr. 200, Plut. Them. 27. Similia habent Latini, cf. Otto s. alienus 1.

Se ipsum quemque maximi facere, dicit Eur. Med. 86

πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ,

quod schol. h. l. proverbiis vindicat. Discernit autem poeta duo genera hominum pergens

οἳ μὲν δικαίως, οἳ δὲ καὶ κέρδους χάριν

i. e. alii se diligunt ita, ut nihil contra ius fasque committant, alii nihil antiquius habent, quam ut lucrum capiant. Illud genus amoris sui respiciunt Eur. fr. 460

ἐκεῖνο γὰρ πέπονθ' ὅπερ πάντες βροτοί· | φιλῶν μάλιστ' ἐμαυτὸν οὐκ αἰσχύνομαι

et Soph. Oed. Col. 309 *τίς γὰρ ἔσθ' ὃς οὐχ αὑτῷ φίλος;* Pauca aliorum appono: Plat. Legg. 5, 731 E *φίλος αὐτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει τ' ἐστὶ κτλ.* Arist. Eth. Eud. 7, 6 *δοκεῖ γὰρ ἐνίοις μάλιστα ἕκαστος αὐτὸς αὑτῷ φίλος,* Men. mon. 407, 528. Ter. Andr. 426 „verum illud verbumst, volgo quod dici solet, Omnis sibi malle melius esse quam alteri" et 636 „heus, proxumus sum egomet mihi". Plura ap. Otto s. alter 5 et s. proximus.

Alterum autem genus amoris sui omnia lucro proprio postponentis ubi poetae spectant, monent, lucrum malum sequi poenam; velut Hes. Opp. 352 *μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν* et quae vocant Democriti atque Periandri dicta *κακὰ κέρδεα ζημίαν ἀρετῆς φέρει* et *κέρδος αἰσχρὸν βαρὺ κειμήλιον,* quae Mant. pr. 1, 78 et 1, 93 numero proverbiorum attribuit. Ap. 8, 34 b praebet *ζημίαν αἱροῦ μᾶλλον ἢ κέρδος αἰσχρόν.* Neque igitur dubito proverbialia iudicare haec tragicorum: Soph. Ant. 326

τὰ δειλὰ κέρδη πημονὰς ἐργάζεται,

coll. v. 222 et 310 sqq.; Eur. Cycl. 311 *πολλοῖσι γὰρ | κέρδη πονηρὰ ζημίαν ἠμείψατο,* coll. v. 461 et Men. mon. 301.

Sed aliud prov. *ἐπὶ τῶν διά τι κέρδος αἰσχύνην προσποριζόντων ἑαυτοῖς καὶ μὴ ἐπισιρεφομένων ταύτης* erat

κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον

obvium ap. Zen. 4, 67, Diog. 5, 42 alios. Mant. pr. 1, 82 affert Eur. fr. 758

κακοῖς τὸ κέρδος τῆς δίκης ὑπέρτερον.

Similia Soph. fr. 749 *τὸ κέρδος ἡδύ, κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἴῃ,* El. 61, Phil. 111. Cf. Plaut. Asin. 186, Otto s. quaestus et s. lucrum 3.

Mant. pr. 1, 4 praebet Eur. fr. 838

αἰαῖ, τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακόν, | ὅταν τις εἰδῇ τἀγαθὸν, χρῆται δὲ μή.

Idem valent Eur. Hipp. 380 *τὰ χρήσι' ἐπισιάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν, | οὐκ ἐκπονοῦμεν δ' . . ,* Med. 1079 *θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων, | ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς,* fr. 837. Cf. Ov. met. 7, 20 „video meliora proboque, Deteriora sequor".

d. Sententiae ad instituta vitae publicae spectantes.

Quam invisi fuerint Graecis tyranni, cognoscitur ex Soph. fr. 788

ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται, | κείνου 'στι δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ,

quod in proverbii consuetudine fuit teste Mac. 6, 50. De usu huius prov. crebro vid. Nauck. ad l. c.

Neque tamen negant, unius prudentis tyranni arbitrio rempublicam melius administrari quam vulgi, quoniam „quot capita tot sensus". Hoc exprimit Eur. fr. 220 celebratissimum (vid. Nauck. ad h. l.)

σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας | νικᾷ, σὺν ὄχλῳ δ' ἀμαθία πλεῖστον κακόν.

Ap. 5, 56 d et hoc recepit et 3, 21 b Eur. fr. 8

ἀνδρὸς ὑπ' ἐσθλοῦ καὶ τυραννεῖσθαι καλόν.

Iam Hom. Il. *B* 204 *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.* Cf. Eur. Or. 772 cum schol.

Unumquemque secundum superiorum nutum atque arbitrium vivere, iubet Solonis (fr. 30) versus proverbialis

ἀρχῶν ἄκουε καὶ δικαίως κἀδίκως.

Idem significat prov. ab App. pr. 1, 100 et Mac. 3, 36 haustum ex schol. Aesch. Cho. 78: *δοῦλε δεσποτῶν ἄκουε καὶ δίκαια κἄδικα*, quod adscripsit ad illustranda haec: *ἐμοὶ δ' . . . δίκαια καὶ μὴ δίκαια, | πρέποντ' ἀρχὰς βίου | βίᾳ φερομένων αἰνέσαι . . .* Etiam Soph. Ant. 666 respicit prov. *τοῦδε χρὴ κλύειν | καὶ σμικρὰ καὶ δίκαια καὶ τἀναντία*, cf. Ai 668. Illud saepius repetitum *καί δίκαια κἄδικα* recepit App. pr. 1, 100 et Bauck l. c. p. 86 formulis dicendi adnumerat, quibus proverbialis quidam color insit. Ceterum recurrit in Eur. fr. 423. Eiusmodi locutiones proverbiales Latinorum velut „iusta iniusta," „aequom an iniquom," „quo iure quaque iniuria" collegit Wyss (Die Spr. bei den röm. Komikern. Diss. Zürich 1889, p. 109). Cf. Otto s. iustus.

In magistratibus gerendis magis quam alia re mentem et mores cuiusque viri perspici, docet prov. (ap. Diog. 2, 94, G. C. 1, 83, Mac. 2, 44 etc.)

ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι,

quod schol. apte ad Soph. Ant. 175 adscripsit, ubi poeta eandem sententiam pluribus profert. Adhibuerunt prov. Arist. Eth. Nic. 5, 1, 16, Diog. Laert. 1, 77, Dem. de f. leg. 247 alii.

Hemistichium vulgo scriptori Cypriorum attributum (ap. Diog. 5, 30, Ap. 9, 6, Mant. pr. 1, 71, Plat. Euth. 12 B)

ἵνα γὰρ δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς

Soph. Ai. 1073 sqq., scholiasta ad h. l. auctore, et Aesch. Eum. 521 sqq. sine dubio ante oculos habuerunt. Sed omnes illos versus exhibere longum est.

Boni civis est imprimis legibus parere. Quoniam autem aliis gentibus urbibusque aliae sunt leges, valebat Soph. fr. 852

νόμοις ἕπεσθαι τοῖσιν ἐγχώροις καλόν.

Ex App. pr. 1, 20 et Mac. 1, 89 *ἀλλ' ἕπου χώρας τρόποις* colligo, praeceptum illud proverbiale fuisse. Similia leguntur ap. Ap. 18, 46, Zen. 5, 25, Mac. 6, 11 alios: *χώρα καὶ νόμος, πόλις καὶ τόπος, νόμος καὶ χώρα· διὰ τὸ ἕκαστον ἔθνος ἰδίοις νόμοις χρῆσθαι.* Cf. Soph. Oed. Col. 12, 171, 184, 928, Eur. Med. 222.

Schilleri nostri „das Auge des Gesetzes wacht" in mentem mihi venit legenti

Soph. fr. 11 *τὸ χρύσεον ὄμμα τῆς Δίκας*

et Eur. fr. 490 *Δικαιοσύνης τὸ χρύσεον πρόσωπον,*

cui simile Eur. El. 771 *Δίκη τε πάνθ' ὁρῶσ'*. Cf. Men. mon. 179 (= Ap. 7, 98 c) *ἔστιν Δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ* et Anthol. Pal. 7, 357 *ὄμμα Δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γινόμενα.* Proverbiis haec esse adnumeranda, testantur Suidas s. *Δίκης ὀφθ'*. et Ap. 6, 8. Otto s. Iustitia recepit Amm. Marc. 28, 6, 25 „quia vigilavit Iustitiae oculus sempiternus" et 29, 2, 20 „Iustitiae oculus arbiter et vindex perpetuus vigilavit", Gell. 14, 4, 1 „os et oculos Iustitiae".

Ne quid decernant, nisi audita etiam altera parte, monet iudices prov. obvium in Mant. pr. 2, 6 et schol. Eur. Andr. 957

μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Cuius quis fuerit auctor, non liquet; cf. Cic. ad Att. 7, 18, 4. Euripides saepius illud respexit: Andr. 957

σοφόν τι χρῆμα τοῦ διδάξαντος βροτούς, | λόγους ἀκούειν τῶν ἐναντίων πάρα,
ubi prior versus aperte ostendit, proverbialem esse sententiam, Her. 179 *τίς ἂν δίκην κρίνειεν ἢ γνοίη λόγον, | πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν μῦθον ἐκμάθῃ σαφῶς;* Hec. 1130. Cf. Aesch. Eum. 428. Sententiae usus creberrimus, e. gr. Herod. 7, 10, Thuc. 1, 44, Ar. Vesp. 725, Plat. Demod. 383 B, Luc. calumn. non tem. cred. 8. Dicti formam latinam „audiatur et altera pars", Büchmann (Geflügelte Worte 11 Aufl. p. 294) suspicatur depromptam esse ex Sen. Med. 2, 2, 199 sq. Idem cum alia affert tum hos in aula aedificii Francofurtani, quod vocatur „der Römer", versus inscriptos: „Eyns mans redde ein halb redde, Man sal sie billich verhören bede."

Restat, ut nonnulla proverbia proferam, quae ad partes, quas institui, referri non potuerunt.

Vulgo Graeci noctem vocare solebant matrem diei, cf. Aesch. Ag. 279, Soph. Tr. 94. Huc spectat Aesch. Ag. 264

εὐάγγελος μὲν, ὥσπερ ἡ παροιμία,
ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα

i. e. utinam nascatur ex nocte matre, quae faustum nuntium Troiae captae attulit, aurora fausta laetaque. Schneidewin comparat Ap. 8, 77 g *ἕως ὁρῶσα τἄργα τῆς νυκτὸς γελᾷ.*

Quod colore albo res secundae, adversae nigro indicabantur, factum est, ut locutio proverbialis

λευκὴ ἡμέρα sive *λευκὸν ἦμαρ*

valeret *ἡ ἀγαθὴ καὶ ἐπ' εὐφροσύνῃ.* Cf. App. pr. 3, 60, Mac. 5, 51. Sunt, qui originem locutionis ex more Scytharum ducant, qui unumquemque diem missis in pharetram calculis signare dicebantur, ac prosperum quidem candido, infaustum nigro (velut Zen. 6, 13, Mac. 8, 21). Eundem morem Thracibus fuisse, narrat Plinius nat. hist. 7, 131. Romani diem faustum alba gemma signare aut cressa notare solebant, cf. Stat. silv. 4, 6, 18; Mart. 8, 45, 2; 10, 38, 4; 11, 36, 1; Hor. carm. 1, 36, 10; Catull. 68, 148; 107, 6, atque dies infaustos vocabant atros, quo de more plura ap. Otto s. calculus 1. Simile nostrum „den Tag will ich mir im Kalender rot anstreichen". Locutio *λευκὸν ἦμαρ* occurrit ap. Aesch. Ag. 668 et Pers. 300. Ex Anecd. Bekk. 106, 33 haustum est Soph. fr. 5 *λευκὴν ἡμέραν· τὴν ἀγαθήν.* Denique Soph. Ai. 708 *νῦν, ὦ Ζεῦ, πάρα λευκὸν εὐάμερον πελάσαι φάος.*

Veteres vigorem in genibus posuisse, quis est, quin sciat ex Homero? Huc pertinet Aesch. Pers. 929

Ἀσία δὲ χθὼν . . . ἐπὶ γόνυ κέκλιται,

ubi schol.: *εἴληπται δὲ εἰς παρόιμίαν.* Cf. Herod. 6, 27 *ἐς γόνυ τὴν πόλιν ἔβαλε.* Multa exempla collegit Pape s. *γόνυ.*

Zen. 6, 14 profert Soph. fr. 14

τί σοι ὁ Ἀπόλλων κεκιθάρικεν;

addens *τὸ κεκιθ. οἷον ἐμαντεύσατο,* idem Suid. s. *κεκιθ.* et Mac. 8, 37. Quo spectet versiculus apud alios non obvius, non liquet; Erasm. p. 532 haec suspicatur: „conveniet, ubi quis a principe redeuntem percunctabitur, quid responsi tulerit." Ceterum Meineke pro *κεκιθάρικεν* proposuit *τεθρίακεν*, Nauck *ἐντεθρίακεν.*

Teste schol. Plat. p. 396, Soph. fr. 164 respexit notissimum illud prov.

Σαρδάνιος γέλως.

De origine vocis *Σαρδάνιος* viri docti ex antiquissimis temporibus usque ad hunc diem inter se dissentiunt. Veri est simile, eam esse derivandam ab *σεσηρέναι* (sc. *τοῖς ὀδοῦσι*), perfecto verbi *σαίρειν*, unde ortum est *σαρδάζειν*, quod est *μετὰ πικρίας γελᾶν* (Phot. 500, 23). Alii scribentes *σαρδόνιον* vel *σαρδώνιον* ducunt vocem aut ab more quodam Sardorum aut ab planta venenata *σαρδόνιον*, qua qui fruebatur sub risu et spasmo moriebatur (sic Otto s. Sardonius). Initio voces *σαρδάνιον* et *σαρδόνιον* origine et vi inter se discrepuisse videntur, postea sive ob formarum similitudinem sive ob incertam originem confusae esse: unde et varia lectio prodiit et interpretum dubitatio, quanam ratione locutio sit orta. Interpretantur schol. Plat. l. c., Mac. 7, 59, Ap. 15, 35 *ἐπὶ τῶν ἐπ' ὀλέθρῳ τῷ σφῶν αὐτῶν γελώντων*, Diog. 8, 5 *ἐπὶ τῶν μὴ ἐκ χαιρούσης ψυχῆς γελώντων*, Diog. V. 3, 75 *ἐπὶ τῶν κακῶς γελώντων*, simili modo G. C. 3, 67. Risum Sardanium aut Sardonium commemorant plurimi, e. gr. Hom. Od. *v*. 302, Plat. reip. 1, 337 A, Plut. C. Grach. 12 saepius, Lucian. asin. 24, Iov. trag. 16, Cic. ep. fam. 7, 25, 1.

Proverbio vulgari celebrabantur

τὰ τρία κακά sive *τὰ τρία τῶν εἰς τὸν θάνατον.*

Alii (Phot. 631, 5, Suid. s. *τῶν τριῶν κακῶν ἕν*, schol. Arist. 541) dicebant de carcere, cicuta, exsilio, alii (Zen. 6, 11, Ap. 16, 20) de gladio, laqueo, cicuta, alii aliter. Huc spectat Soph. fr. 822

λύσω γὰρ, εἰ καὶ τῶν τριῶν ἓν οἴσομαι,

de quo multa ap. Erasm. p. 687, Fritzsch. ad Arist. Ran. 1504, Lobeck. Aglaoph. 1 p. 740. Cf. Bauck p. 54.

Si quis magnam erat consecutus gloriam, ab praetereuntibus digito monstrari dicebatur. Itaque Aesch. Ag. 1332 domum felicem prosperamque vocat

δακτυλόδεικτα μέλαθρα.

Simile Soph. Oed. Reg. 901 *εἰ μὴ τάδε χειρόδεικτα | πᾶσιν ἁρμόσει βροτοῖς*. Usitata fuit locutio in utraque lingua, e. gr. Lucian. Somn. 11; Horat. carm. 4, 3, 22 „quod monstror digito praetereuntium Romanae fidicen lyrae“, Pers. sat. 1, 28 „at pulchrum est digito monstrari et dicier 'hic est' “. Cf. Otto s. digitus 8.

Omnibus omnis generis auctoribus in summis deliciis erat locutio

ἄνω κάτω

decurtata ex prov. *ἄνω κάτω πάντα*, quod adhibebatnr *ἐπὶ τῶν τὴν τάξιν μεταστρεφόντων* (G. C. L. 1, 61, schol. Plat. p. 359). Quae locutio proverbialis occurrit Aesch. Eum. 650, fr. 304; Eur. Herc. fur. 1307, Tr. 1243, Bacch. 349, 602, 741, 753, Suppl. 689, fr. 600 v. 3 et proprio sensu Soph. Ant. 1068, Eur. Phoen. 181, Herc. fur. 953, Iph. T. 282, El. 842. Ex aliis appono Pind. Ol. 12, 5; Herod. 3, 3; Arist. Equ. 866, Nub. 616, Thesm. 647; Plat. Theaet. 153 D, Protag. 356 D, Phaed. 96 B, 111 E, Lach. 196 B, Phaedr. 272 B. Latini habent similes locutiones „sursum versum“ (Plaut. Capt. 656), „sursum deorsum“ (Ter. Eun. 278), „summa ima“ (Hor. carm. 1, 34, 12), „susque deque“ (Cic. ad Att. 14, 6, 1), de quibus Otto s. v. bene egit.

In prov. abierat (cf. Eustath. ad Il. p. 443, 35, Suid. s. *ἑκόντι*, App. pr. 2, 51) Hom. Il. *Δ* 43

ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ

usurpatum *ἐπὶ τῶν κατ' ἀνάγκην ποιούντων τι*. Plus minusve commutatam reperimus locutionem ap. Soph. Phil. 1298, Eur. Hec. 566, Iph. T. 282, Iph. A. 1271, Aesch. Suppl. 863. Latini aut „velim nolim“ aut „nolens volens“ aut alias formas variatas saepissime adhibuerunt, cf. Otto s. velle 1.

Ut Latinorum locutiones „doctum doces“ (Plaut. Poen. 880) et „nota noscere“ (Plaut. Mil. gl. 636) Otto s. docere 1 et s. noscere proverbiis attribuit, ita Graecorum locutionem tritissimam

εἰδότι λέγειν

proverbialem existimare non dubito. Ex tragoediis exhibeo: Aesch. Suppl. 742 *λέγω πρὸς εἰδότα*, Ag. 1402 *πρὸς εἰδότας λέγω* (cf. 615 *εἶπε μανθάνοντί σοι*), Prom. 441 *εἰδνίαισιν ἂν ὑμῖν λέγοιμι*, 1040 *εἰδότι τοί μοι . . ἐθώυξε*, Soph. Oed. Col. 1539 *εἰδότ' ἐκδιδάσκομεν*, Eur. Or. 1183 *εἰδότ' ἠρόμην*, Hec. 670 *εἰδόσιν δ' ὠνείδισας*. Iuvat pauca aliorum apponere: Hom. Il. *K* 250 *εἰδόσι . . ἀγορεύεις*, *Ψ* 787 *εἰδόσιν ὔμμιν ἐρέω*, Pind. Pyth. 4, 142 *εἰδότι τοι ἐρέω*, Herod. 7, 8 *ἐπισταμένοισι εὖ οὐκ ἄν τις λέγοι*, Plat. Hipp. mai. 301 D *εἰδότι μὲν ἐρεῖς*, Thuc. 3, 58 *πρὸς εἰδότας πάντα λελέξεται*, coll. 2, 36 et 7, 14.

Iam vero dicam de nonnullis locis tragicorum, qui facetiis comicorum in omnium ore versantes, nostrorum instar, quae vocare solemus „geflügelte Worte", mox proverbiorum locum obtinuerunt. Imprimis Aristophanes, quodcunque miri inusitatique in tragoediis Euripideis repperit, perstrinxit atque illusit. Hoc accidit versui Eur. Hipp. 345

πῶς ἂν σύ μοι λέξειας ἁμὲ χρῄς λέγειν;

ubi schol.: *κεκωμῴδηται δὲ ὁ στίχος οὗτος ὑπὸ Ἀριστοφάνους* (Equ. 16) *. καὶ εἰς παροιμίαν μετῆκται.* Sunt Phaedrae, quae nutrici studiose sciscitanti, quo dolore curave vexetur domina, amorem suum nefarium erga Hippolytum confiteri verita, callide diverbium ita invertit, ut anus ipsa denique eloquatur, quae ex regina voluit elicere. Valckenar. iudicat in glossa: „mihi personae versus convenientissimus et indignus videtur, quem sibi sumeret Arist. irridendum".

Ex eiusdem comici ioco (Ran. 72) originem proverbialem duxisse videtur Eur. fr. 569 (ap. G. C. 3, 22 a, G. C. M. 4, 58)

οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσὶν, οἱ δ' ὄντες κακοί.

Apud tragicum his verbis Oeneus respondet Diomedi interroganti *σὺ δ' ὦδ' ἔρημος ξυμμάχων ἀπόλλυσαι;* Comicus vero facete Bacchum facit versum loquentem, qui Herculi sciscitanti, quid in Tartaro velit, respondet *δέομαι ποιητοῦ δεξιοῦ. οἱ μὲν γὰρ κτλ.* Ceterum Suidas prov. explicat *ἐπὶ τῶν διὰ σπάνιν ἐπιζητουμένων.*

Neque alia ratione nisi Aristophanis cavillatione in prov. abiisse apparet Eur. fr. 880

βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα,

quem versum comicus memoriae tradidit in lepidissimo illo Ranarum diverbio, ubi Dionysus lance diiudicare vult, utrum Euripidis an Aeschyli versus pluris sint aestimandi. Suo profecto iure irrisit et explosit hunc versum: certe enim maiora erant proferenda de fortissimo Graecorum heroë quam iactum eius fuisse duo singula puncta et quaternionem. Zen. 2, 85 adnotat, prov. dici *ἐπὶ τῶν ἀδιανοήτων.*

Idem passum est hemistichium Eur. Or. 234

μεταβολὴ πάντων γλυκύ

receptum ab Ap. 11, 31 b. Schol. ad h. l. scribit *συνυπακουστέον τὸ κακῶν. κεκωμῴδηται δὲ ὁ στίχος. τὸ γὰρ ἐξ ὑγιείας εἰς νόσον μεταβαλεῖν οὐκ ἔστιν γλυκύ κτλ.* Ceterum vid. Erasm. p. 652 et Otto, qui s. varietas notum illud profert „varietas delectat".

Fortasse Ap. 16, 61 a eadem de causa proverbiis vindicavit Eur. fr. 19

τί δ' αἰσχρὸν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

quem versum optimo iure irridet Arist. Ran. 1475. Est profecto animi dissoluti atque turpissimi. Plura ap. Nauck. ad h. l. et Fritzsch. ad Arist. l. c.

Similis ratio in locutionibus quibusdam videtur valere, quas inde in proverbia abiisse affirmaverim, quod propter nimiam imaginis tralationisve audaciam aut ob rei proprietatem vulgo irridendi causa repetebantur. Huc refero Soph. Trach. 13

ἐκ δὲ δασκίου γενειάδος κτλ,

quibus Deianira Acheloi faciem describit. Ibi schol.: *παροιμία ἐκ πολλοῦ εἰρημένη*. Prov. autem videtur fluxisse ex inusitata metaphora „valde umbrosae“ barbae pro hirsuta promissaque. Iam Aesch. Pers. 317 habet *δάσκιον γενειάδα*. Alicubi autem *δάσκιος γενειάς* omnino non reperitur, ut videtur, quamquam eadem imago subest Eur. Suppl. 1219 *συσκιάζοντας γέννν*.

Oedipus Tiresiam obiurgat Soph. Oed. Reg. 371

τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ,

qui versus in prov. abiisse videtur (G. C. L. 3, 17, Ap. 17, 37) propter audacem tralationem caecitatis ad aures et mentem, qua significetur homo hebes atque stupidus. Cf. v. 389 *τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός*.

In medio relinquo, propter vocis proprietatem necne proverbiale factum sit Soph. fr. 968

ὀπισαμβώ,

cuius de vi Plut. prov. 1, 3 haec praebet *ἐπὶ τῶν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐν τοῖς πράγμασι προβαινόντων ἀεί· παρὰ τὸ ὀπίσω βαίνειν* et Eustath. Il. 862, 5 *ὀπ. . . . ἢ εἰς τοὐπίσω ἀναχώρησις*.

Legimus *παροιμιῶδες τὸ ἡμιστίχιον* ab scholl. A. B. M. adscriptum ad Eur. Or. 1610

ΜΕ: *οἴμοι τί δράσω;* ΟΡ: *πεῖθ' ἐς Ἀργείους μολών*.

Quae adnotatio ad utrum hemistichium pertineat, quamquam incertum est, tamen non dubito, quin ad prius sit referenda; opinor enim, illud *οἴ. τ. δ.* in cotidiano sermone saepe libenterque ab hominibus dubiis, quid facerent, usurpatum in inanem formulam dicendi cessisse. Nec desunt in lingua vernacula exempla similium locutionum, velut notissimum illud Schilleri „was thun, spricht Zeus“, idem ab hominibus deliberantibus adhibitum. Locutio *οἴμοι τί δράσω* recurrit ap. Soph. Ai. 809, 920, 1024, Oed. Col. 1254, Phil. 969, 1063, 1350, Eur. Hec. 419, Herc. fur. 1157, Phoen. 1310, Med. 1271; cf. Eur. Med. 1042, fr. 144 *αἰαῖ τί δρ.*, Soph. Phil. 908 *ὦ Ζεῦ τί δρ.*, Soph. Tr. 1186 *ἦ μὴν τί δρ.*

Quid sibi voluerint scholl. codd. Gr. Florr. sept., qui nulla addita explanatione *παροιμία* adscripserunt ad Eur. Phoen. 1369

αἴσχιστον αἰτῶν στέφανον ὁμογενῆ κτανεῖν,

non intellego. Acquiesco in confitenda ignorantia, quoniam hunc versum spurium esse Valckenar. ostendit.

Omnino autem, cum difficillimum sit, de vi et origine nonnullorum proverbiorum hodie certa explorare, interdum hoc potius concedamus quam vana coniecturis colligere. Quae ratio in eis locis valebit, qui sequuntur.

Menelaus et Tyndareus Eur. Or. 485 acriter altercantur, num Orestem matricidam adiuvent:

ΤΥ: *βεβαρβάρωσαι, χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις.*

ΜΕ: *Ἑλλήνικόν τοι τὸν ὁμόθεν τιμᾶν ἀεί.*

Schol. M. ad v. priorem adnotat *εἰς παροιμίαν ἐχώρησεν*, schol. B. autem ad v. alterum *εἰς παροιμίαν δὲ ὁ στίχος ἀπεχώρει*. Cum utrumque versum proverbialem fuisse, persuadere mihi non possim, quaeritur, utri scholl. assentiamur. Neque vero hunc nodum expedire audeo.

App. pr. 1, 44 recepit Aesch. fr. 327

ἄχνη πυρός

adhibita satis obscura interpretatione. Testibus Hesych. 1, 661, Etym. M. 182, 56, Suid. s. v. poeta *ἀ. π.* pro *καπνός* posuit. Cf. Soph. Oed. Col. 681 *ἄχνη οὐρανία* i. e. ros, Soph. Tr. 848 *ἄχνη δακρύων* i. e. effusae lacrimae, *ἄχνη οἰνωπός* i. e. vinum spumans.

Haec habui, quae de proverbiis apud Aeschylum Sophoclem Euripidem dissererem.